Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

LN 1635
ex. 3

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

CONCIONES TRIBVS DIEBVS PVBLICARVM PRECATIONVM, 22. 23. 24. MARTII 1596. Eccleſijs Daniæ & Noruegiæ proponendæ.

**
*

Ad uſum Miniſtrorum verbi ſcriptæ,

à

PETRO IOHANNE VINSTRVPIO.

Ierem. 7. v. 23.

Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus.

HAFNIÆ.

Impreßit Matthias Vinitor.

M. D. XCVI.

1596.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

Chryſoſtomus.

Μὴ ἀπογίνωσκε, μηδὲ ἀφίστασο τῆς εὐχῆς· ἀλλὰ πρόσελθε ἁμαρτωλὸς ὤν, ἵνα δοξάσῃς σου τὸν δεσπότην, ἵνα δῷς αὐτῷ τὴν οἰκείαν φιλανθρωπίαν ἐν τῇ συγχωρήσει τῶν σῶν ἁμαρτημάτων ἐπιδείξασθαι.

Id eſt;

NE in deſperatis habe, nec abiji-
ce precandi ſtudium, ſed accede,
qvamvis peccator, ut gloria affi-
cias Dominum tuum, & præbeas
ei occaſionem, ut conſvetam ei pla-
cabilitatem in condonatione
tuorum peccatorum
oſtendat.

(*)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

TEXTVS
PRIMÆ DIEI,
Geneſis 18. Cap. v. 20.

* * *

DIxit Dominus, Clamor Sodomorum & Gomorrhæorũ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Deſcendam & videbo vtrũ clamorem qui venit ad me, opere compleuerint: an non eſt ita, vt ſciam. Conuerterùntq; ſe inde, & abierunt Sodomam: Abraham verò adhuc ſtabat corã Domino. Et appropinquans ait, Nunquid perdes iuſtum cum impio? Si fuerint quinquaginta iuſti in ciuitate peribunt ſimul? & non parces loco illi propter quinquaginta iuſtos, ſi fuerint in eo? Abſit à te vt rem hanc, facias, & occidas iuſtum cum impio fi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

atq; iuſtus ſicut impius. Non eſt hoc tuum, qui iudicas omnem terram: nequaquam facies iudicium hoc. Dixitq; Dominus ad eum, Si inuenero Sodomis quinquaginta iuſtos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos, Reſpondenſq; Abraham, ait, Quia ſemel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis. Quid ſi minus quinquaginta iuſtis quinq; fuerint? delebis propter quadragintaquinq; vniuerſam vrbem? Et ait, Non delebo, ſi inuenero ibi quadraginta quinq;. Rurſúmq; locutus eſt ad eum, Sin autem quadraginta ibi inuenti fuerint, quid facies? Ait, Non percutiam propter quadraginta. Ne quæſo, inquit, indigneris Domine, ſi loquar: inuenientur fortaſſe illic triginta. Et dixit, Si inuenero ibi triginta, nihil faciam. Dixitq; iterum (ille,) En obſecro, ob-

ſequus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

ſequutus ſum animo meo auſus loqui ad Dominum meum, fieri poterit vt inueniantur fortaßis ibi viginti. Et dixit, Ob viginti, non vaſtabo. Et dixit, Ne quæſo iram moueat Domino meo, ſi vel iam loquutus fuero, quid ſi inueniantur ibi decem? Et dixit, non vaſtabo ob decem. Poſtquam vero ceſſaſſet Dominus loqui ad Abraham, abijt, & Abraham reuerſus eſt ad locum ſuum.

EA (proh dolor) nunc ſunt tempora, ut numeris omnibus & ſupra conditionem humanam ſe præſtet artificem, qvi docendo, ſcribendo, hortando, clamando, rebus ſic undiq; exhulceratis deploratisq; qvidqvam efficiet. Vſq; enim adeò mens humana in inflexibilem dolorisq; omnis expertem contumaciam incidit, ut non immerito de noſtri ſeculi hominibus dici poſsit, quod de Iudæis obſtinatis pronunci-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

at Zacharias Cap: 7. v. 12. Inqviens Noluerunt attendere, averterunt ſcapulam, recedentes, & aures ſuas aggravaverunt ne audirent: Cor ſuum poſuerunt ut Adamantem, ne audirent legem ipſam & verba qvæ miſit Dominus exercituum, in ſpiritu ſuo, per prophetas.

Inſtituuntur qvidem ſingulis ferè temporum momentis, ex Dei verbo admonitiones, comminationes, exhortationes piorum miniſtrorum, ad melioris vitæ ſtudium: ſed fruſtrà. Mundus etenim qvi ſui
Eſa. 53. v. 1. ſemper ſimilis eſt, hoc eſt, immundus & to-
1. Joh. 1. tus in maligno poſitus, ſvavia potius qvàm gravia, vana qvam ſana, caduca qvàm qvæ ad æternam ſalutem comparata videntur, eligit ac diligit: Cœcus ac demens vanitati ſuæ mordicus inhærens, nihil prorſus eorum, quæ ad morum pietatisq; cultum, qvævè ad peſſimæ vitæ emendationem aut ſalutem conſeqvendam ſpectant, curat vel conſiderat, potius ſic vitam inſtituit, ac ſi nunquam ad examen horrendi judicij divini eſſet venturus.

Non tamen pijs verbi præconibus ideo à propoſito deſiſtendum, aut in officio
ſegneſ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

ſegneſcendum, monet non modo vox divi-
na. Eſa. 58. verſ. 1. Clama ex gutture tuo,
& exalta ut tuba, vocem tuam, An-
nuncia populo meo prævaricationes
ſuas & domui Iacob peccata ſua. E-
zech. 33. v. 7. Speculatorem te dedi do-
mui Iſrael ut audiens ex ore meo ver-
bum, moneas eos ex me. Ionæ 1. v. 2.
Surge & vade contra civitatem mag-
nam & clama contra eam. 2. Timoth.
4. v. 2. Prædica ſermonem, inſta tem-
peſtivè, intempeſtivè, argue, obiurga,
exhortare cum omni lenitate & do-
ctrina: Verùm etiam Magiſtratus noſtri
pio edicto, omnes nos ſolitò conuenire hoc
triduo jubemur: ut etiamnū piorum con-
cionatorum clamoribus admoneantur im-
pij, ſi modo ad ſaniorem mentem revocari
velint aut poſsint: qvò maleactam vitam
celerius emendent & bene emendatam ſan-
ctius poſtea inſtituant, nî ſibijpſis velox ex-
itium accerſere & in perditionis æternæ
barathrum præcipites ſe dare voluerint.

Qvocirca perneceſſarium eſſe iudica-
ui, non tàm verbis, qvàm exemplis iræ &
iudicij divini horrendiſsimis auditores mo-

nere & excitare: Ac propterea prima hac litaniarum concione, triſte & terribile exemplum conflagrationis Sodomorum & Gomorrheorum ante oculos proponere viſum eſt: ut ſi non ſalutis virtutiſq; amore, pœnarum utiq; formidine à malo deterreantur impij, emendentur, & in bono (ſi ſpiritui ſancto locum dederint) confirmentur. Has enim ciuitates in cinerem redactas, ſubverſione damnauit DEVS, teſte D. Petro, Epiſt. 2. cap. 2. v. 6. ut eſſent Exemplar ijs, qvi impiè victuri eſſent. Hinc & ſancti DEI prophetæ altius contra ſcelera inſurgentes, hoc eodem frequentius uſi ſunt: Eſa. cap. 13. v. 19. Contra Babilonios: Ierem. 49, v. 18. Contra Idumæos. Ezech. cap. 16. v. 46. contra Iudæos. Sophon: cap. 2. v. 9 contra Moabitas: Eodem fine quo nos hodie, nempe ut eorum malo edocti, nobis ab impietate & πανολεθρίᾳ cauere ſtudeamus.

Macti igitur animis, auditores optimi, operam demus ſedulam, ut dum adhuc auribus noſtris ſalutaris Euangelij vox inſonat, emendationi noſtræ inuigilemus, ſalutem propriam, totiusq; patriæ noſtræ dulciſsimæ, nobis cordi eſſe ſinamus: Deum inſuper intimis pectoris noſtri gemitibus

roge-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

rogemus, ut ſpiritus ſui virtute nos ad orationem idoneos & feruentes efficiat, utq; (illuminatis oculis mentis noſtræ,) videamus qualia & quanta ſunt, quæ deflere ac corrigere, & quæ deinceps bona impetrare & comparare debeamus: Tùm etiam ut gemitus & verba, quæ coram ipſo votis communibus profundimus clementer admittat, per & propter IESVM CHRISTVM, unicum Dominum ac propitiatorem noſtrum, Amen.

CONCIONIS HODIERnæ Duæ erunt partes.

I. Querela Dei, de multitudine & atrocitate peccatorum apud Sodomitas.

II. Colloquium Abrahami cum DEO de non perdendis Sodomitis, modò pauci boni in maxima hominum multitudine inueniantur.

DE PRIMA.

Dixit Dominus: Clamor Sodomorum & Gomorrheorũ multiplicatus eſt & peccatum eorum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

aggravatum eſt nimis : Deſcendam igitur &c.

EXpoſiturus Dominus Abrahæ, conſilium ſuum, de puniendis impijs Sodomitis, Gomorrhæis & vicinarũ urbium habitatoribus, initio peccata illorum vehementer exaggerat, quibus ſe irritatum eſſe dicit, ut tandem iudicium ſuum, aduerſus tantam ſceleratæ gentis impietatem, gravius exerceat, nec vindictam amplius diſferre qveat.

In hac parte qvatuor obſeruanda erunt:

I. Perſona, qvæ loquitur.

II. Eiuſdem querela bimembris: 1. Quod peccata clament. 2. Et ſupra modum aggravata ſint.

III. Deum deſcendere ut videat, an peccata fecerint conſumationem.

IV. Angelorum profectio Sodomam.

Et Dixit Dominus:

IN primo membro indicat Moſes, qværelam non hominis ſed ipſius Dei eſſe, qvi ut acerrimus honoris ſui & ſalutis humanæ aſſertor eſt: Ita teſtatur inprimis ſe odiſſe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

omnem iniquitatem & horribiliter iraſci peccatis, eaq; tandem punire velle graviſſimè Pſal 5. v. 5. Deus nolens iniqvitatem es tu. Pſal. 45. v. 8. Odiſti omnem improbitatem.

Elucet heic non vulgaris miſericordiæ divinæ nota: qvòd non celat Eccleſiam ſuam, conſilia de imminentibus pœnis: ſed in tempore admonet, nec qvenquam, niſi abundè præmonitum, punit: ut qvid vitare conveniat intelligant, qvi pœnas ſubterfugere deſiderant. Amos 3. v. 7. Non faciet Dominus Deus qvidqvam, niſi revelaverit ſecretum ſuum ſeruis ſuis prophetis.

Secundò teſtatur hæc prædictio, non caſu accidere ærumnas, nec pœnas fortuitò infligi: Sed iuſtitiæ ac providentiæ divinæ opus eſſe, homines de pœnitentia maturè admonens. Sicut dicitur Sap: 12. v. 2. Eos qvi labuntur corripis & de peccatis admones: vt relicta malitia credant in te Domine.

Clamor Sodomorum & Gomorrheorum multiplicatus eſt.

Secun-

SEcundum membrum, in quo eſt grauiſsima querela Dei, de atrocitate peccatorum Sodomitarum, quæ non accuſare, ſed clamare dicit, innuens: Tot tantaq; eſſe illorum ſcelera, ut amplius diſsimulare nequeat, ſe videre uel audire, quinimo ipſum nolentem ad vindictam irrogandam impellant.

Huiuſmodi phraſi per Metalepſin, uti ſolet ſcriptura, quum peccata multa ſunt & atrocia, celeremq; vindictam magnitudine ſua expoſcunt: qualia ſunt innocentis ſanguinis effuſio, tyrañis & crudelitas, quâ inferiores à ſuperioribus opprimuntur, & in oppreſsione de iniuſta vi conqueruntur. Item rapinæ, impoſturæ, mordentes vſuræ & reliquæ artes iniquæ, quibus circumuenti homines, ad inopiam rediguntur: nefariæ quoq; libidines, publica peccandi licentia, contemptus religionis & eius generis alia, quæ dum augentur, augeſcit ſimul & clamor, quo eiuſmodi facta ad Dei aures in cœlum perferuntur & ſponte ſua vindictam expoſcunt, quamuis in occulto fiant, & ſepultam eſſe illorum memoriam, ſibiq; impunitatem perpetuã promittant talium ſcelerum autores. Teſtatur hoc ipſe Dominus ad Cainum, Gen. 4. v. 10. Vox

ſangui-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Matth. 2. v. 18. De funeſta clade infantium Bethlehemiticorum, dicit Euangeliſta: vocem in Rama h. e. excelſis auditam eſſe. Iacob. 5. v. 4. Ecce merces operariorum veſtrorum, qvi meſſuerunt regiones veſtras, qvæ fravdata eſt à vobis clamat, & clamor eorum in aures DEI Zebaoth introivit. Apocal: 18. v. 5. Peccata eius pertigerunt usq; ad cœlum, & recordatus eſt Dominus ſcelerum eius.

Sic omni tempore iniuria, privata vel publica, impunita, ut lachrymas & gemitus oppreſſorum exprimit: Ita clamorem & eiulatum concitat perſonantem in auribus Dei, qvi ut ſemper iuſtiſsimus eſt, & miſericors erga electos ſuos, ſic interpellatus illorum diurnis nocturniſq; precibus, eos à violentia opprimentium tandem liberat, attritis & deletis oppreſsoribus. Exod. 14. v. 27. Iudith 13. v. 10. Heſtræ 7. v. 10.

Multiplicatus eſt.

NOn ſimplicem fuiſſe clamorem, ſed ſæpius iteratum & multiplicatum, dicit:

quod

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

quod etiam confirmant verba ſequentis ca-
pitis 19. v 4. ubi omnes peccaſſe dicuntur
à magno vſq; ad minimum, & viros ciui-
tatis, iuuenes, ſenes & omnem populum
ſimul vallaſſe domum Lothi, poſt ingreſ-
ſum Angelorum, vt nefanda ſeſe explerent
libidine. Idem uſu venit multis, poſtquā
viam ſcelerum ſemel ingreſsi fuerint, pe-
dem raro reflectunt, ſed bibunt tanquam
Joh. 15. v. 16. aquam iniquitatem, & eouſq; ſtuporis de-
ueniunt, vt etiam in malefactis lætentur,
Prov. 2. & de rebus peſsimis glorientur.

Cedant hæc nobis in documentum: vt maturé reſiſtamus peccato, & vbi multiplicia peccata noſtra cœlum attigiſſe intellexerimus, obtemperantes conſilio Apoſtoli Heb. 12. v. 24. operam demus, vt clamore ſpiritus contriti, clamorem peccatorum noſtrorum obtundamus, accedentes ad noui teſtamenti mediatorē Ieſum Chriſtum, & ſanguinis aſperſionem melius loquentem, quam Abel.

Deinde in hac accuſatione dicit Dominus:

Peccatum illorum aggrauatum eſſe nimis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

SEu inualuiſſe vehementer, eó quod nullum peccandi finem facerent, ſed ſicut nauis fracto gubernaculo illuc rapitur, quo tempeſtas impellit, tandēq; ſcopulis illiſa vel vndis oppleta ſubmergitur: ſic illi prauis affectibus æſtuantes, excuſſo Spiritu ſancto, ſalutis gubernatore, à Satana qvoqvò verſum abripiebantur & de peccato in peccatum ferebantur, donec tandem grauiſsimo iniquitatis pondere oppreſsi iacerent.

Heic circumſpiciat pius lector, Anne peccata hodie ſimiliter apud nos ingraueſcant aut exuberent: imo uſqueadeo, ut nec grauitas ſcelerum amplius creſcere, nec virtutum dignitas amplius decreſcere poſsit: mirum igitur non videbitur, vbiuis locorum mala inundare.

Cæterum ut videamus num ita res ſê habeat, & an aliquid cum Sodomitis commune habeamus, ex Ezechiele recitabo, quæ & qualia fuere illa aggravantia & exuberantia Sodomorum peccata, is enim cap. 16. v. 49. atrocitatem peccati Iſraëlitarum comparatione ad Sodomam facta, per ſpecies enumerat, hoc modo:

Ecce, hæc fuit iniquitas Sodomæ

ſororis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

ſororis tuæ, Superbia, Saturitas panis & abundantia otij, & manum egeno non porrigebant, & eleuatæ ſunt & fecerunt abominationes

1. In hac Catena ſcelerum principem locum attribuit Propheta Superbiæ, ea enim initium omnis peccati eſt. Eccleſiaſt. 10. v. 15. Nec ullum peccatum (ſi Auguſtino credimus) ſine ea eſt. Quandoquidem nihil aliud eſt quam contemptus Dei, ſtulta admiratio ſuiipſius & deſpectus proximi. Hinc etiam á Chryſoſtomo fons & origo omnium malorum dicitur. Eſtque veluti generalis quidam morbus peſtiferus, non unum membrorum, partemuė debilitans ſed ſolidum corpus lethali exitio corrumpens. Veriſsimum igitur eſſe videmus, quod Prouerb. 6. v. 7. dicitur. Spiritus elatus antecedit calamitatem & ſuperbiam comitatur ruina.

Memores nos infirmitatis noſtræ deponamus omnem faſtum, ne & bonis diuinis priuemur & pœnis implicemur. Quod quæſo, nobis eſt patrimonium? quæ bona parta, ob quæ gloriemur? Annon pater noſter (inquit idem Propheta) Amorrhæus & mater noſtra Chetæa? hæreditas ab illis

Ezech: 16. v. 2.

illis

illis relicta annon eſt peccatum, miſeria, mors & maledictio? Qvid igitur ſuperbit vas fœtidum, eſca vermium, damnationis & ignominiæ ſimulachrum?

Secundum in Catalogo peccatum ab
Ezechiele recitatur κόρος ſaturitas panis, 2.
de qua Dominus ipſe Deut: 32. v. 15. Incraſſatus eſt dilectus & recalcitrauit, impingvatus, dilatatus, dereliquit Dominum factorem ſuum & receſsit à Deo ſalutari ſvo. Et Pſal: 119. v. 70. Incraſſatum ſicut adeps cor eorum.

Dederat Dominus Sodomitis terram admodum frugiferã, incꝫ maxima rerum abundantia vixerunt. Hoc Dei beneficio abuſi ſunt ad luxum, comeſſationes, ebrietatem, libidines & qvæcuncꝫ carnis inexplebilis cupiditas ſvadebat: Non ſecus ac inter nos ſæpiſsimè fieri videmus, qvando divina largitione, rerũ neceſſariarum affluentia abundamus, omnes mox honeſti ac decori limites tranſgredientes, portentoſo helluandi, laſciviendi & voluptuandi ſtudio diffluimus: Et qvò fœcundiores fuerint regiones eò prodigaliores & luxurioſiores ſunt homines, qvò lætiores viderint coloni ſegetes eò maiorem ſibi cum Heluone il-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

ſo Luc. 12. v. 19. promittunt ingluuiem.
Hinc fit, qvod abundantia panis, cœtera-
rvmq; deliciarum copia, bonorum Dei im-
memores reddit, & eò dementiæ adducit
multos, ut brutorum inſtar ventrem cibis
farciant, nihil interea de mentis alimonia
ſoliciti. Qvod & feciſſe Iſraëlitas teſta-
tur Moſes. Num. 25. v. 6. Sedit po-
pulus manducare & bibere, & ſurre-
Heb. 12. xit ludere. Eſau Gen. 25. v. 33. Ven-
v. 16. dit ius primogenituræ propter offam.
Talium (inqvit Paulus. Phil. 3. v. 19)
Deus venter eſt,

Luc. 21. Caueamus igitur ne corda noſtra
v. 34. graventur crapula & ebrietate, nève
Rom. 13. eos imitemur qvi cras ſperando mori-
v. 14. untur & hodie bibendo ſepeliuntur;
ut loqvitur Auguſtinus Sermone 23, de
verbis Domini.

3. Tertium peccatum Sodomitarum, a-
bundantia otij, ſecuritas ſeu peccandi con-
ſvetudo, qvæ plærumq; duritiem & indo-
lentiam inducit cordi, ac mentem cœcam
reddit & vanam unde cogitatio abaliena-
ta à Deo, propter obdurationem, qvæ in
homine eſt, excludente omnem pœnarum
ſenſum & cladibus ſuis ſponte irrvente. V-
tinam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

tinam eius farrinæ inter nos hodie non in-
venirentur plurimi, qvi poſtquam dedo-
luerunt, ſemetipſos dediderunt proterviæ
ad certatim patrandam omnem impieta- Eph. 4.
tem. v. 17.

Qvartum peccatum. *Nec egeno ma-* 4.
num porrigebant. Hoc eſt. Voluptati-
bus ebrij & ſecuri, nulla egenorum, affli-
ctorumvè fratrum cura tangebantur: Sed
in ſumma illa rerum affluentia, miſericor-
diæ & charitatis fraternæ prorſus obliti,
langvidos & miſeros fame, ſiti, frigore ali-
isq; modis inhumaniter perire ſinebant.
Roborare enim manum pauperis, eſt titu-
bantem confirmare, prolapſum erigere, in-
opiam & miſeriã eius ſubleuare, conſilio &
auxilio.

Cogitent hæc potentiores & ditio-
res, qvi bonis omnibus circumfluunt,
& tamen viſcera ſua claudunt egenis,
Qvomodo igitur charitas Dei manet
in illis. 1. Ioh. 3. v. 17.

Qvintum peccatum.

Inſolentes fuerunt & fecerunt 5.
abominationes coram Domino:

 Id eſt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

Id eſt: Abiecto metu iudicij divini, furenter in quævis ſcelera proiecti, turpes & horrendas libidines (qvas ſeqventi cap. v. 9. deſcribit Moſes) contra naturam exercebant.

Hiſce & ſimilibus gradibus, ad interitũ progreſsi Sodomitæ, eò uſq; annectebant ſcelera ſceleribus, donec ipſam Nemeſin & iuſtam Dei vindictam in ſe concitarent provocarentq;.

Qvid ergò de nobis fiet? qvi non modo ijſdem delictis: ſed etiam gravioribus iram ipſius meruimus? Atteritur inter nos miſerum vulgus, multi facultatibus exuti & domibus excuſsi, egeni & famelici oberrant. Quot audiuntur oppreſſorum miſerabiles gemitus? Plurimi adeó ſecurè voluptuantur, ut nec pœnitentia opus eſſe putent, nec ulla iudicij venturi formidine tangantur. Multi adeò in ſecundis inſoleſcunt, ut planè originis ſuæ immemores, reliqvum hominum genus tanqvam ſterqvilinium proculcent, imò Deum ipſum ſuperbè deſpiciant. Deus bone, qvantus eſt hodie verbi divini contemptus? qvantus luxus? qvanta in iudicijs iniqvitas? aliaquè flagitia innumera, qvæ tàm vulgaria redduntur, ut vix ſperari poſsit emendatio,

mor-

morbus ita invaluit, ut nullus ferè locus ſit remedio. Qvid igitur, inqvam, de nobis fiet? Qvid ſubſecuturum ſperabimus? An vindictam Dei evaſuros nos putabimus? Certè non evademus. Thren: 4. v. 6. Iniquitas filiæ populi mei, maior eſt peccato Sodomorum.

Tertium membrum.

Deſcendam & videbo, utrum clamorem, qvi venit ad me, opere compleverint, annon ita eſt ut ſciam.

SVnt & hæc verba ipſius Dei de peccatis Sodomorũ atteſtantis & minitantis ſceleratis interitum. Dicuntur autem hæc de Deo humanitus, dum ex noſtro ſenſu, ipſi affectus, geſtus & motus ſcriptura tribuit, Deſcendit autem quando nobiſcum agere, præter uſitatũ naturæ curſum & animum ſuum ſpeciali modo declarare inducitur. Non enim loco movetur is, qvi ſemper ubiq; eſt totus.

Qvatuor in hac locutione obſervanda veniunt;

I. Sodomitas adeo ſecurè peccatis ſuis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

indormiviſſe, ac ſi Deum planè laterent fœda illorum opera, nec qvidquam eorum, qvæ apud illos agerentur, perſpiceret, ſciret vel intelligeret.

II. Tantam fuiſſe Dei patientiam erga illos, ut etiamſi peccatum ſuo fœtore & clamore cœlum contigiſſet, iamq; dudum exſcindi meriti eſſent: Deum tamen nihilominus nunc primum *Deſcendere*: & de pœna peccatis iuſtiſsimè infligenda cogitare, idq; ut pœnitentiæ locum ipſis relinqueret & eos potius emendaret, qvàm perderet. Rom. 2. v. 4. 2. Pet. 3. v. 9. Hoc Dei Exemplo monentur illi, qvi terram dijudicant, ut *deſcendant* hoc eſt, humilient ſe, neq; ſententiam de qvoqvam ſubito iuxta clamorem vulgi pronuncient, ſed omnia prius verbis, qvàm armis experiantur.

III. Manifeſtè etiam refutant hæc verba epicuræas cogitationes impiorum, negantium Deum curare res aut facta hominum vel ullam eſſe providentiam.

IV. Conſolantur hæc afflictos & monent, ut qvantumvis ſæviant impij, certó tamen ſtatuant, ſe á Deo reſpici ac defendi, ne à malis opprimantur: iuxta promiſsionem Pſal. 12. v. 6. Propter miſeriam in-

opum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

opum & gemitus pauperum nunc exurgam, dicit Dominus, ponam ſalutem qvæ faciat illum reſpirare. Luc. 18. v. 7. Nonne Deus faciet vindictam electorum ſuorũ, clamantium ad ſe die ac nocte & patientiam habebit in illis? dico vobis qvod citò vindicabit eos. Exod. 3. v. 9.

Qvid autem viſurus?

An ſecundum clamorem peccata fecerint conſumationem.

Hoc eſt, An iniqvitates ipſorum menſuram ſuam compleverint. Tunc avtem peccata conſummata dicuntur, ubi non ſolum delectant, ſed etiam placent, & qvæ antea vitia fuerunt mores fiunt, neq; amplius ſanabilis eſt malitia. Videmus heic mortalibus ſuum propoſitum eſſe terminum, & peccata ſuam habere conſumationem. Qvando ergo homines ad extremum malorum ſeſe proiecerint, ut amplius nulla emendationis ſpes ſuperſit, nil præter extremum exitium ſequi neceſſe eſt.

Qvartum membrum primi loci.

Converteruntq́; ſe & abierunt Sodomam.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

Oſtendit Moſes triſtiſsimum effectum Dei comminationem ilicò ſubſecutum fuiſſe & cœlites iam acceleraſſe ad vindictam Sodomis irrogandam: ipſis interea securè peccatis indulgentibus, & cladibus ſuis rabioſè attractis, ultrò incurrentibus.

Luc. 19. v. 42. Fit hoc ſæpe apud homines: ut quò propior pœna ſit, eò ſecuritas maior, qvæ omnem Dei reverentiam metumq; excutit. Nos proinde Dei erga nos in tempore bonitatem agnoſcamus & qvó propius pœnas adventare perſenſerimus, eò celerius Deum offenſum precibus & vitæ emendatione placare ſtudeamus.

DE SECVNDA PARTE.

Abraham autem adhuc ſtabat coram Domino, & appropinqvans ait: Nunqvid perdes iuſtum cum impio?

Altera concionis huius pars, continet prolixum colloqviũ ſanctiſsimi viri Abrahami cum Deo, perſonam ſupplicis deprecatoris & ſequeſtri ſuſcipientis, atq; ſolicitè aliqvoties intercedentis, pro Sodomitis:

mitis: quo aliqvam ipſis, pœnæ inſtantis mitigationem impetret.

In hac oratione intercesſoria, nobis, qui pro delictorum venia & ſolatio, faciem Domini deprecamur, conſideranda & imitanda erunt hæc ſequentia:

Primùm Humilitas ipſius. Agnoſcit I.
enim ſe pulverem eſſe & cinerem, ideoq; indignum ſe iudicat, qvi cum ſummo Deo colloquatur. *Ecce*, inqvit, *Cæpi loqvi cum Domino meo, qvi ſum pulvis & cinis.* Vtinam & nos ortus noſtri primordia agnoſceremus. neqvaqvam ita tumidi in conſpectũ DEI prodiremus, & Luc. 18.
cum phariſæo criſtas erigeremus: Eſa: 40. V. 11.
v. 6. Omnis caro ſicut fœnum. Pſal. 103. v. 15. Recordatus eſt qvoniam pulvis ſumus. Si quis igitur videtur ſibi aliquid eſſe, qvum tamen nihil ſit, hic ſuum ipſius animũ fallit (inqvit Apoſtolus Gall. 6. v. 3.) Qvid enim habes qvod non accepiſti? Qvod ſi accepiſti qvid gloriaris, qvaſi non acceperis?

Secundò, inſigne Exemplum habemus II.
charitatis erga proximum: Solicitus enim pro Sodomitis, animi ſui ſincerum prodit

affectum, in effectum tandem prorumpens. Opponit namq; ſe Deo tanqvam murum & publicam cladem qvantum in ſe eſt avertere molitur. Erit & hoc nobis documento, ut fratrum noſtrorum calamitates & peccata perinde ac noſtra lugeamus, qvandoqvidem omnes corporis unius in Chri-
1. Cor. 12. ſto membra ſumus. Ea autem lex ac na-
v. 26. tura membrorũ eſt, ut qvum doleat unum,
Rom. 12. condoleant cœtera: Sic Ieremias prævi-
v. 5. dens vaſtitatem Iudæorum, cum gemitu inqvit: Senſus cordis mei turbati ſunt in me. Neq; ſolum triſtia illorum fata defleamus, ſed & precemur pro ſalute eorum impietati eorum obſiſtamus, & ad emendationem revocatos Chriſto lucrifacere, pro virili ſtudeamus. Iuxta mandatum Apoſtoli Gal. 6 v. 1. Si homo præoccupatus fuerit aliqvo delicto, vos qvi ſpirituales eſtis inſtaurate talem hominem, cum ſpiritu manſvetudinis, conſiderans temetipſum ne & tu tenteris. Iacob. 5. v. 16. Orate alij pro alijs, ut ſanemini, &c.

Sed ô qvantum miſeri ab hoc charitatis affectu diſtamus? qvi uſq; adeo in amorem noſtri accenſi ſumus; ut dum res no-

ſtræ

ſtræ in tuto ſint, aliorum ſortem etiam triſ-
ſtiſsimã negligamus, qvum vera tamen dile-
ctio reqvirat, & ipſa vox Dei iubeat, A-
mos, 6. v. 6. ſuper contritione Ioſeph dolere.

Tertià virtus in oratione Abrahæ ve- III.
ritas eſt, nullatenus enim extenuat vel ex-
cuſat impiæ gentis ſcelera, neq; contradi-
cit Domino conqverenti de magnitudine,
& gravitate delicti Sodomitici. Scit e-
nim DEVM veracem, & naturam hu-
manam in omne flagitiorum genus
ſuapte culpa propenſam eſſe. Cuius
rei gratia Deum agnoſcit iudicem om-
nis terræ eiq; laudem iuſtitiæ tribuit,
qva utitur cùm in defendendis pijs,
tùm puniendis & è medio tollendis
conſceleratis.

Nos ſimiliter Deo vulnera & nævos
noſtros denudabimus & cum ſanctiſsimo
hoc patriarcha, Davide, Daniele, Manaſſe,
Petro & alijs agnoſcamus ipſum habere iu-
ſtiſsimas cauſas, multasq; & magnas propter
qvas nos in æternum puniret, niſi iuſtitiæ
ſuæ rigorem miſericordiâ temperaret

Qvartò Orat ex fide, nihil hæſi- IV.
tans de favore & bonitate divina, &
opponit Sodomorum extremæ impietati
inter-

interminatam Dei miſericordiam. Nam ut ipſum iuſtum agnoſcit, qui pium cum impio perdere nolit: Ita eundem miſericordem fatetur, qui iniuſtis indulgentiã & peccatorũ veniam dare, pro bonitate ſua paratus ſit: modò pauciſsimi in maxima hominum frequentia, commiſeratione digni inveniantur. Hac etiam fiducia, nos animos noſtros, in re anxia & conclamata erigamus.

V. Qvintò, Conſtans eſt in oratione, nec defatigatur. Sexies enim inſtat apud divinã maieſtatem, idq; cum maxima modeſtia & reverentia nominis ipſius. dũ inquit. *Ne qvæſo indigneris Domine ſi adhuc loqvar.* Item. *Qvia ſemel cœpi, loqvar ad Dominum meum.* Item. *Obſecro ne excandeſcas, Domine, ſi adhuc loqvar ſemel &c.* Sic & nos perdurare in precibus oportet neq; defatigari: Etiamſi malis aliquanto diuturnioribus premamur, aut difficilius factu videatur, quod poſtulamus. Luc: 18 v. 1. 1. Theſ: 5. v. 17. Eccleſ: 18. v. 12. Rom: 12. v. 18.

Hæ ſunt virtutes in oratione Abrahami,

mi, pio homine digniſsimæ, qvas ſi & nos emulati fuerimus, dubium non erit quin preces & gemitus noſtros, hoc ipſo momēto, admiſſurus ſit pater benigniſsimus. Tanta enim eſt veræ orationis vis & fidei conſtantis effectus, qvòd etiam nubes penetret, maximā iram Dei à peccatoribus auertat & ſalutaria cuncta impetret. Ioh. 4. v. 23. Ioh. 16. v. 23. Iacob. 5. v. 16.

Deſerviunt præterea hæc quæ diximus conſolationi & admonitioni noſtræ. Si enim tam efficax fuit unius mortalis hominis Abrahami oratio, ut ſolus orans Deum, impetrare potuerit veniam peccati & mitigationem pœnarum, Si decem ſaltem pij de peccatis dolentes & verè pœnitentes, in tanta hominum multitudine, quinq; florentiſsimarum ciuitatum inventi fuiſſent: Qvanto magis credendum eſt, totius eccleſiæ gemitus & preces in ſpiritu & veritate fuſas, propter æterni ſacerdotis & mediatoris Chriſti interceſsionem, exauditum & pœnas amotū iri. Contra vero, perſpicimus iræ Dei magnitudinē aduerſus eos, qvi peccata peccatis & ſcelera ſceleribus addere non ceſſant, nihil interea cogitantes de pœnitentia Quod etiam ſanctiſsimorū hominum preces, imo ipſius filij Dei merita, quæ

pro

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

pro illis fiunt, irrita manent: Sicut non modo probant exempla, Sodomorum, Iudæorum & aliorum obſtinatorum: Sed & ipſe Dominus apud Ieremiam Cap. 7. v. 16. idem confirmat inquiens. Tu ne oraveris pro populo iſto, neq; levaveris pro eo clamorem & deprecationem, neq; interceſseris apud me, qvoniam neqvaqvam te exaudiam. Item apud Ezechielem Cap. 14. v. 14. Si fuerint tres iſti viri, Noë, Daniel & Iob in medio ipſius, neq; filios aut filias liberabunt. Hæc erat cauſa qvod Samuelem pro Saule orantem rejecerit Dominus. Ideo & D. Iohannes Epiſt. 1. cap. 5. v. 16, Prohibet orare pro peccantibus ad mortem. Atq; hæc de oratione Abrahami:

In DEO autem videmus I. Magnū affabilitatis & φιλανθρωπίας indicium, quod Abrahamum eiuſq; cognatum Loth, tanqvam fideiuſſores, pro Sodomitis ad intercedendum ne punirentur & benignè excitavit & patienter audivit, etiamſi pulvis eſſent & cinis.

Hinc & noſtras preces ipſi acceptas fore: neq; propter indignitatem noſtram, nos abiectum iri, indubitato ſtatuamus, & cum Dauide dicamus: Benedictus Do-

minus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

minus, qui non amovit orationem meam & miſericordiam ſuam à me,

II. μακροθυμίαν & abundantiam miſericordiæ Dei cernimus minime properantis ad vindictam aut extrema remedia verum is potius patiens eſt erga nos, nolens ullos perire ſed ad pœnitentiã venire. Rom. 2. v. 4, 2, Pet, 3, v, 9, Ita tamen ut qvamvis interdum connivere videatur ad ſcelera: iuſtam tamen ſemper meditatur vltionem, eamq; qvum maximé oportunum fuerit exerit, ſi patientia eius abuſi fuerimus.

III. Deum ſæpe propter paucos pios, ingẽti parcere multitudini, Act, 27, v, 37. qvi in navi vehebantur cũ Paulo evadunt periculum, propter Paulum, cui donabantur.

Contrà verò propter paucos impios, ſæpe integras everti reſpublicas. Sic tota tribus Beniamin, ob ſtuprum uni mulieri illatum penè interijt, Iud. 19. v. 48.

IV. Novit Dominus in medijs pœnis inter bonos & malos diſcernere, Eccleſiæ ſuæ rationem habere & pios à tentatione eripere, deletis impijs. Sicut Abrahamum & Lothum edvxit è Sodomis. Noachum è medijs fluctibus diluvij, Danielem è lacu leonum &c.

Verum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

Verum ſi Deo viſum fuerit, bonos cum malis pœnis involuere: Sciamus etiam ipſis ſua ineſſe vitia, ob quæ iuſte puniuntur. Ita tamen, ut pereunte corpore, anima ipſorum in vitam transferatur æternam. Iud. 16. v. 30. Samſon cum Philiſthæis, domo everſa trucidatur.

Ex hac præterea hiſtoria videmus paucitatem eccleſiæ & raritatem piorum in mundo. Verè enim credentes in DEVM & recto corde incedentes, vel nulli ſunt vel ad exiguum numerū redacti. Et ſicut olim Diogenes accenſa in ipſa meridie lucerna, in medio Athenarum foro & confertiſsima veſanæ plebis turba, hominem ſe quærere dicebat: Sic etiam non minore difficultate & labore in medio eccleſiæ foro, ad clariſsimā Euangelij lucem, homines verè bonos & pios hodie quærimus, ut non immeritò cum Pſalmiſta nobis exclamare liceat.

Pſal. 12. v. 1. Salva me, Domine, quia defecit Sanctus, quoniam imminuti ſunt fideles inter filios hominum. Prædixerat hoc Chriſtus: Luc: 18. v. 8. dicens, Num putatis, filium hominis inventurum fidem in terra, quando venerit ad iudicandum?

Qva

Qvia igitur æuo hoc poſtremo & deterrimo, inter mortales, piorum veracium & fidelium hominum ſumma eſt penuria, Improborum vero vberrima copia: rogemus Deum aſsiduè, ut nos à praua & peſtifera generatione filiorum huius ſeculi & à technis, qvæ pleniſsimæ ſunt laqveis, & fraudibus, qvibus omnis pietatis hoſtis, nos ad ſe pertrahere conatur, clementer liberet: ne cum hoc mundo florente florentes, cum mundo pereunte pereamus.

Colophonis loco huc adijcere poterunt paſtores, ſi velint & tempus ferat, qvomodo Sodomitæ flammis libidinum æſtuantes, poſtero die ſub ortum ſolis, nouo & inaudito iræ diuinæ exemplo, per ſulphurei ignis terribilem æſtum, (pœna delicto iuſtè reſpondente) cœlitus demiſſũ, unà cũ vicinis urbibus & tota regione, in fauillas redacti & conſumpti ſunt. Qvemadmodum prolixe docet Moſes capite ſeqventi: ut auditores tanti & tám horrendi ſupplicij grauitate perterrefacti, cautius & melius vitam inſtituere lapſusq; & pœnas vitare diſcant & ſtudeant, per Dominum noſtrum IEſum CHriſtum, cui honor & gloria in ſecula.

AMEN.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

CONCIO SECVNDA.

TEXTVS, Luc. 10. verſ. 11.

(*)

HOC ſcitote appropinqvaſſe ad vos regnum DEI. Dico autem vobis, qvod Sodomis tolerabilius erit in die illa qvam vobis. Væ tibi Chorazin, Væ tibi Bethſaida. Nam ſi in Tyro & Sidone editæ fuiſſent virtutes, qvæ editæ ſunt apud vos, olim cum ſacco & cinere ſedentes reſipuiſſent. Ideo Tyri & Sidonis tolerabilior erit conditio in judicio qvam veſtra. Et tu Capernaum qvæ uſq; ad cœlum ſublata es uſq; ad inferos deprimêris.

* * *

Exem-

EXemplum punitæ impſetatis in Sodomitis, qvod heri propoſuimus, adeo dirum & triſte fuit, ut vel hoc ſolum & vnicum obſtinatis mentibus, ſpiritu ſoporis excuſſo, horrorem incuteret. In eo etenim tanqvam in alieno ſpeculo, ſecuturæ ob noſtra flagitia pœnæ atrocitatem, limpidiſsimè contemplari, nulli non, vel leuiter iuſtitiæ diuinæ ſeueritatem introſpicienti, erat peruium.

Sed ô miſeras hominum mentes, ô pectora cœca: plurimi eò ſtuporis & dementiæ prolapſi ſunt, ut eiuſcemodi exempla, vel prorſus contemnant, vel nihil ad ſe pertinere putent, maximè illi qvi de Chriſti nomine gloriantur, eius doctrinam profitentur & vera Eccleſiæ membra cenſeri & eſſe volunt. Non aliter ac olim Iudæi ſibi ablandientes, qvòd ſemen eſſent Abrahæ, qvorum erat adoptio & gloria & legis conſtitutio & cultus & promiſsiones, ob tantum Dei erga ſe fauorem inſoleſcebant. Interim tamen deterius vitam moresq; inſtituebant, qvàm vel Ethnici incircumciſi ab illorum Republica alieniſsimi, vel etiam manifeſti inter ipſos religionis contemptores. In hos & ſimiles ἐμπαίκτας & per-

Rom. 9. v. 5.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

vicaces, qvi DEI gratiam inuanum acs cipiunt, & ſub pietatis prætextu qvidvis ſibi licere arbitrantes, ſecuritatem ex ſola miſericordiæ diuinæ largitate ſibi pollicen= tur, concionem hodiernam detorqvet fili= us DEI: oſtendens grauius & acerbius longè cum ipſis in die Iudicij actum iri, qvám cum Sodomitis, Tyrijs, Sidonijs & ſimilibus, qvi á tanta Dei cognitione alie= ni, ad finem vſqve in ſceleribus perdura= runt. Fixa enim manet illa Domini ſen= tentia Luc: 12. v. 47. Servus ſciens voluntatem Domini & non faciens, multis vapulabit. Verum enimuerò cùm ipſe Dei filius, de his & alijs, mul= ta ſaluberrima documenta in hodier= no textu proponat, qvæ nos meritò ad diuinæ iuſticiæ ſeueritatem cauen= dam, pietatemqꝫ ſectandam exſtimula= re debeant: de ijſdem in præſenti con= cione, aſpirante cœleſti numine, ſermo= nem habebimus. Qvod ut piè & re= ligioſè præſtare valeamus, ipſius opem ſupplicibus votis imploremus.

Loci

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

LOCI TRES.

I. Commendatio ampliſsimi illius beneficij, qvo Deus olim ſuum populum affecit, offerendo ei gratiam, ſicut & nobis eandem offert hodie.

II. Dira imprecatio atq; horribilis denunciatio graviſsimæ pœnæ, ob contemptum Euangelij & beneficiorum filij DEI.

III. Modus euadendi pœnas & interitum, reſipiſcentia ſcilicet, in cinere & ſacco.

DE PRIMO.

Hoc ſcitote appropinqvaſſe ad vos regnum DEI.

QVum inter varia & immenſa illa beneficia, qvibus bonorum omnium largitor DEVS opt: max: genus humanum abundè ornat & cumulat, nullum maius aut excellentius ſit, qvàm qvod nobis filium ſuum vnigenitum non modo in redemptorem & ſalutis noſtræ aſſertorem: Sed etiam in doctorem atqve voluntatis ſuæ interpretem dederit: qvi doctrina ſua, cæcas hominum mentes illumi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

Illuminaret, miraculis in fide confirmaret, meritis ſuis in ſpem ſalutis erigeret & virtutum ſuarum exemplis, ad ipſius imitationem alliceret. Vult Deus nos hæc præclara beneficia agnoſcere & grata ſemper mente deprædicare. Hinc & ſancti Dei prophetæ, Chriſtus ipſe, Apoſtoli & omnes omnium temporum pij doctores, indefeſſe auditores ad tanti beneficij conſiderationem, ad Dei amorem & reuerentiam & ad præſtandam gratitudinem voce & ſcriptis excitare ſatagebant. Moſes Deut. 4. v. 32. Poſt legem in monte Sinai per manus mediatoris datam, populum beneficij iſtius admonuit inqviens: Interroga de diebus antiqvis, qvi fuerunt ante te, ex illo die qvo creauit Dominus Deus hominem ſuper terram, à ſummo cœlo vſqꝫ ad ſummum eius, ſi facta eſt aliqvando eiuſmodi res, aut vnqvam cognitum eſt, ut audiret populus vocem Domini Dei loqventis de medio ignis, ſicut tu audiuiſti & vidiſti: Item cap. 30. v. 14. Propè te eſt verbum meum, in ore tuo, & in corde tuo, & in tota anima tua. Dauid Pſal. 78. v. 1. At-

tendite

tendite popule meus legem meam: Inclinate aures veſtras in verba oris mei. Pſal. 147. v. 19. Annunciat verbum ſuum Iacob, iuſticias & iudicia ſua Iſraël, Non fecit taliter omni nationi & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Pſal. 103. v. 7. Notas fecit Moſæ vias ſuas & Iſraëli voluntatem ſuam. Ioël 2. v. 23. Exultate filij Sion in Domino Deo veſtro: quia dedit vobis doctorē iuſticiæ & deſcendere facit ſuper vos verbum ſuum ſicut imbrem matutinum & ſerotinum. Eſa. cap. 8. v. 19. Numquid interrogabunt mortuos pro viuis? Ad legem & teſtimonium, quod ſi non dixerint iuxta verbum hoc, non erit ipſis lux matutina. Item cap. 51. v. 4. Attendite ad me popule meus & tribus mea me audite: Luc. 8. v. 8. Qui habet aures ad audiendum audiat. Matth. 23. v. 34. Ecce, ego mitto ad vos ſcribas & prophetas. Luc. 10. v. 23. Beati oculi, qui uident quæ uos uidetis. Paulus 2. Cor. 6. v. 2. Ecce nunc tempus acceptū, ecce nunc dies ſalutis. Item ad Eph.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

Cap. 2. v. 20. Exſtructi eſtis ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, exiſtente lapide angulari IESV CHRISTO. Petrus 2. epiſt. cap. 1. v. 19. Habemus firmiſsimum ſermonem Propheticum, cui rectè facitis qvòd attendatis, tanqvam lucernæ in obſcuro loco ſplendenti, uſqvedum illuceſcat dies & lucifer oriatur in cordibus veſtris.

Ita & hoc loco exaggerat filius DEI idem beneficium, dum inqvit:

Scitote regnum DEI ad vos appropinqvaſſe.

Regnum Dei regnum gratiæ intelligit, qvòd videlicet ſe ſua voce & Euangelij ſui prædicatione, illuſtribus etiam teſtimonijs miraculorum, populo ſuo manifeſtauerat & veluti ruptis cataractis cœli, omnium gratiarum ſuarum pluuiam, ſuper eos largiſsimè effuderat. Cùm enim apud homines obſcurata, imò penè deleta eſſet vera Dei noticia, eius timor ſublatus & verus cultus peſſundatus: miniſteriũ qvoq; doctrinæ collapſum ac turpiter deformatũ, atq; ita ſtabilitũ regnum Satanæ, ut in ſuã

poteſta-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

poteſtatem, totum ferè genus humanum redegiſſet, exceptis paucißimis, qvi promiſsi liberatoris aduentum exſpectarent: Tùm demum de ſede ſua, iuxta promißionem progreſſus Dei filius, regnum ſuum auſpicari cœpit, verbi ſui predicatione mundum irradiauit, diſsipata collegit, inordinata reſtaurauit, debilia confirmauit & totum genus humanum, qvod à Dei regno exulabat, perq; peccatum à vera iuſticia auulſum erat: ex ſeruitute peccati, mortis & diaboli (deſtructo eius imperio) ſibi vindicauit & in libertatem aſſervit,

Hoc illud regnum eſt, cuius hîc mentionem facit Chriſtus, qvod non armis, externo robore & maieſtate inter mortales propagat vel adminiſtrat: ſed tantum ſceptro ex Sione emiſſo, hoc eſt, miniſterio verbi ſui, per qvod efficax eſt in cordibus credentium. Hoc ſubditos ſuos regit, afflictos conſolatur, hoc vocat ad pœnitentiam, hoc terret inimicos, profligat hoſtes & in medio eorum dominatur. Pſalm. 110. v. 2. Item Pſal. 29. v. 4. Vox Domini in virtute, Vox Domini in magnificentia, Vox Domini incidens ut flamma ignis, &c.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

Hoc eſt, iam in proximo eſt, & præ fo-
ribus, iam gratia & veritas patefacta eſt, Sa-
lus hodie ingreſſa domũ veſtrã, & regnum
Dei in medio veſtrûm eſt. Deut: 30. v. 12.
Mãdatum hoc qvod ego præcipio tibi
hodie non ſupra te eſt, neq; procul po-
ſitum, neq; in cœlũ ſurſum, ut dicas:
Qvis aſcendat in cœlum ut deferat il-
lud ad nos, ut audiamus atq; opere
compleamus? neq; trans mare poſitũ,
ut cauſeris & dicas: qvis è nobis pote-
rit transfretare mare, ut poſsimus au-
dire & facere qvod præceptum eſt?
Sed iuxta te eſt ſermo valde, in ore tuo
& in corde tuo, ut facias illud: Luc. 17.
v. 21. Regnum Dei inter vos eſt.
Matth. 4. v. 17. Appropinqvauit re-
gnum cœlorum. Marc. 1. v. 15. Im-
pletum eſt tempus & inſtat regnum
Dei: reſipiſcite & credite Euangelio.

Hanc ἐπισυναγωγὴν ſubditorum ſuo-
rum, non modo apud Iudæos inſtituit, nec
anguſtis limitibus imperium hoc ſuum cõ-
ſtrinxit: ſed longè lateq; regni ſui pome-
ria

ria proferens, indiſcriminatim omnibus o-
mnium temporum hominibus gratiam ſu-
am obtulit: ut vnum corpus multi fierent,
cuius ipſe caput, Rex & Dominus eſſet,
ſuam lucem, iuſticiam, vitam, & poſt huius
vitæ curriculum, cœleſtis regni poſſeſsio-
nem communicans.

Et qvoniam voluntas Dei eſt, ut 1. Timot. 2
omnes homines ſaluentur & ad agni- Verſ. 4.
tionẽ veritatis perueniant: ideo etiam
& nos, qvi olim tyrannide Satanæ di-
ſtricti tenebamur in hoc regnum ſu-
um reduxit, ſuoſq; ciues & domeſticos
fecit, transferendo è tenebris in admi-
randam lucem ſuam, effecitq; ut qvi
olim non populus, nunc populus: qvi 1. Petr. 2.
non miſericordiam conſecuti, nunc mi- Verſ. 10.
ſericordiam conſecuti. Qvocirca non Oſeæ 2.
minus nos hodie, qvam olim Iudæos Verſ. 23.
his verbis alloqvitur CHRISTVS.
*Scitote appropinqvaſſe ad vos regnum
DEI.* Vt ad tantam ipſius erga nos
bonitatem agnoſcendam & deprædican-
dam excitet & inſtimulet.

DOcet hic locus I. Totum genus
huma-

humanum à Deo avulſum, ſub regno & poteſtate Satanæ manere, ſua natura propter lapſum, & hoſtile ſemper hominibus cum Deo diſsidium eſſe. apud qvos nil niſi caligo in mente, in voluntate averſio, in corde contumacia & omnium partium corruptio & ʼαταξία reperite eſt: donec fiat reſtitutio per verbum & ſpiritum ſanctum, qvi credentes è poteſtate tenebrarum ereptos, in cœleſtis tegni conſortium transfert.

II. Docemur, CHRISTI regnum eſſe iuſticiam, pacem & læticiam in ſpiritu ſancto, ſicut definit Apoſtolus, Rom. 14. v. 17.

III. Miniſterium Euangelij eſſe vnicum organnm, cuius adminiculo, filius Dei regnum gratiæ in cordibus hominum auſpicatur, ad nos appropinqvat & imperium ſuum exercet: excitando in nobis afflatu ſpiritus, novos motus, lucem agnitionis ſuæ, fidem, iuſticiam, pacem, in qvibus vita & ſalus æterna conſiſtit, Ioh. 17. v. 3.

IV. Finem & ſcopum doctrinæ

Chriſti

Chriſti vnicum hunc eſſe: ut in nobis imperium ſuum exerceat, amiſſa bona reſtituat & deſtructa diaboli tyrannide regnum DEI inſtauret & ſtabiliat. 1. Ioh. 3. v. 8. Apparuit filius Dei, ut deſtruat opera diaboli. Matth. 18. v. 11. Filius hominis venit ſaluare, qvod perierat.

V. Monet nos ut tempus hoc, qvo præſentiæ ſuæ máieſtate, ſuaqve nos ornat gratia agnoſcamus, & per fidei obedientiam nos totos huius regis, tanqvam vnici ſeruatoris nobis á patre dati, imperio ſubijcientes, vero pietatis ſtudio ipſum colamus, digneqꝫ DEO, qvi nos in ſuum regnum vocauit ambulemus: niſi æternum cum refractarijs omnibus, qvibus Euangelij prædicatio, odor mortis eſt ad mortem, periclitari voluerimus.

VI. Summo conamine annitendum eſſe, maximé CHriſti miniſtris: ut omnia illa, qvibus regnum Satanæ ſtabilitur, CHriſti vero euertitur, pro virili oppugnent: utpote nefarios cultus, blaſphemiam nominis diuini, ſuperſtitiones, ſcelera, effrenam peccandi licentiam & ſimilia.

DE

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

Dico vobis qvod Sodomis erit tolerabilior conditio in die illa, qvam urbi illi.
Væ tibi Chorazin. Væ tibi Bethſaida. Nam ſi in Tyro & Sidone editæ fuiſſent virtutes &c.

QVamuis Deus indiſcriminatim omnibus gratiam ſuam offerat, atq; regni ſui terminos latiſsimé propaget: tamen ea eſt hoſtis antiqvi potentia, ea mundi neqvitia, ea carnis humanæ malitia, ea mentis cœcitas: ut maxima pars mortalium tantum & tàm pretioſum theſaurum aſpernentur, dulce Chriſti iugum excutiant, eiuſq; ſalutiferam doctrinam faſtidiant: Non
Pſalm.78. Verſ. 25. ſecus atq; olim Iſraëlitæ ad panē illum Angelorum & cœleſte Manna, qvod illis Dominus cœlitus pluerat, nauſeabant & ollas carneas, hoc eſt, fœdas carnis voluptates, mundi illecebras & terrena lucra, cœleſtibus & ſpiritualibus donis præferebant, inq; Ægyptum redire cupiebant. Tales etiam fuiſſe, ſuprà recitatarum ciuitatum incolas, conqveritur hoc loco Chriſtus: ac propterea

rea qvid ipſos in die iudicij maneat, oſten- dit.

Nominat autem filius Dei, non pro- miſcuè omnes ciuitates Galilææ: ſed po- tiſsimum illas, in qvibus ſæpius ſalutaria ſua dogmata propoſuerat, qvaſq; præ alijs miraculis ſuis illuſtrauerat, & donis multi- plicibus nobilitauerat.

Inter has primum nominatur Chora- zin, vrbs ſita ad mare Tyberiadis in littore orientali Iordanis, è regione Capernaum, ubi ſalutis æternæ myſteria (ut ſonat ap- pellatio) annunciarunt Chriſtus ipſe & di- ſcipuli.

Bethſaida etiam vrbs Galilææ, ſita ad littus maris Genezareth, patria qvinq; di- ſcipulorum Chriſti: Petri, Andreæ, Iohãnis, Matth. 4. Iacobi & Philippi. Vbi etiã qvatuor illos Verſ. 18. priores in ſocietatẽ miniſterij ſui aſciuit & ſe aliqvoties illic cõſpiciendũ præbuit, plu- rimis habitis cõcionibus & editis miraculis.

In has grauiſsimè inuehitur Chriſtus ob contemptum & neglectum ſalutis: dum auditâ doctrinâ Euangelij oblatam grati- am non receperint: ac propterea ipſis di- rum & horrendum Væ, Væ, hoc eſt, om- nes tàm præſentis, qvàm futuri ſeculi cru- ciatus, tàmq; animæ qvàm corporis inte-

ritum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

ritum denunciat. Imò qvantò illis maiora, ad bene beatèq; viuendum adminicula ſuppeditauerit: tanto acerbiores ijs interminatur pœnas, qvi tot beneficijs inuitati & ſalutaribus medijs adiuti, nihil in pietatis & iuſticiæ curriculo profecerant: ſed pertinaciſsimè monitoribus ſuis ſe aſperos præbentes, oblatam gratiam reſpuerant. Ezech. 16. v. 23. Poſt omnem malitiam tuam Væ, Væ tibi, dicit dominator Dominus.

Cæterum, ut Chriſtus & peccatum, & pœnam illorum vehementius exaggeret & fortius illorum animos feriat, opponit hiſce ciuitatibus alias duas, præ cæteris impietate inſignes, Tyrum videlicet & Sidonem. Qvarum illa metropolis Phœniciæ erat, cuius meminit Eſa: 23. v. 8. Ezech. 27. v. 3. & 28. v. 2. Antiqvitate, loci amœnitate, portus opportunitate, munitionibus, opibus & mercatu clariſsima: vnde etiam in maximum (ut fieri ſolet) luxum, faſtum, ſuperbiam, fiduciam ſapientiæ & potentiæ. Idololatriam & contemptum DEI coniecta, tandem impietatis ſuæ pœnas dedit grauiſsimas.

Hæc

Hæc vero itidem urbs Phœniciæ maritima, vicina Paleſtinæ á Tyro diſtans ducentis ſtadijs, condita á Sidone filio Canaan nepote Cham, nobili emporio celebris, quo etiam factum eſt, ut non modo mercibus, opibus & peregrinis hominibus negotiandi cauſâ eò confluentibus, ſed & ſceleribus ad ſummum uſq; impleretur. Qua de cauſa etiam pro nefandis Dei contemptoribus & Idololatris à Iudæis habebantur harum urbium incolæ.

Duabus autem civitatibus, Chorazin & Bethſaidæ accenſet Chriſtus poſtea Capernaum, ſitam in littore maris Galilææ ad oſtium Iordanis, in qua ius ciuitatis habebat, & Euangelij ſui prædicationem exorſus, plurimas conciones habuit, variaq; edidit miracula, ut de ea dicerent habitatores Nazareth ipſi Chriſto Luc. 4. v. 23. Quæcunq; audivimus à te facta in Capernaum, fac etiam hic in patria tua.

Hanc gravius execratur filius DEI quam reliquas, ob flagitioſam ingratitudinem & ſummum contemptum verbi ſui. Et ut vehementior ſit oratio per Apoſtrophen eam alloquitur inquiens:

Et tu Capharnaum.

 Hyper-

Hyperbolica amplificatione pronũcians eſt
Ad cœlos vſq; exaltatam.

Non modo ædificiorum magnificen-
tia, opum affluentia & loci amœnitate
(ſonat enim Capharnaum villa amœna)
ſed maieſtate præſentiæ illius, incolatu, do-
ctrina, virtutibus & ſignis uſq; ad cœlum e-
vectam nobilitatamq;. Ideoq; eam Sodo-
mitis deteriorem & in infernum uſq; depri-
mendam, diſertiſsima oratione pronunci-
at, atq; in formidando illo judicij extremi
die, Tyrum & Sidonem levius qvam & ſu-
am ipſius hanc & prænominatas alias ple-
ctendas aſſerit.

Cur ita?

*Qvia ſi in Tyro & Sidone edi-
tæ fuiſſent virtutes, qvæ in te,
utiq; reſipuiſſent.*

Hoc eſt: Si Euangeliũ à me meisq; Apo-
ſtolis annunciatũ, tot virtutibus cœleſtibus
& prodigijs confirmatum audiviſsent ha-
bitatores urbium iſtarum, qvos ut impi-
os & ethnicos vos execramini, ad tantæ
gratiæ prædicationem (ſicut olim Nini-
vitæ Ion 3. v. 8.) verè reſipuiſſent. Qvod o-
ſtendit exemplũ Act. 21. v. 5. ubi ſcribitur,
Tyri-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

Tyrios tanto fervore prædicationem Pauli audiuiſſe & ſuſcepiſſe, ut ipſũ proficiſcentem cum uxoribus & familijs ſuis deducerent omniq; honore proſequerentur: vos autem oblatam ſalutem prorſus rejeciſtis, nec qvicqvam in fide vel pietate profeciſtis, qvamuis tot ad ſalutem adjumenta ex mea doctrina & miraculis perceperitis. Hoc eſt qvod Dominus apud Ezechielẽ cap. 3. v. 6. conqveritur, conferens Iſraëlitas cum alijs gentibus: Si inquit ad illas mitterem te, Ipſæ audirent te: Domus autem Iſraël noluit audire te, qvia noluit audire me. Dura enim fronte & duro corde eſt. Et Eſa. 42. v. 19. Qvis cœcus niſi ſervus meus? quis ſurdus niſi ad qvẽ ſervos meos miſi?

Tolerabilius ergo erit Tyro & Sidoni.

Nam ut graviſsimè peccant, qvi oblatã ſibi in Evangelio gratiã & ſalutem aſpernãtur, atq; in malitia obſtinati ad finem uſq; perſeverant: Ita præ reliqvis peccatoribus atq; adeò ipſis Sodomitis qvorũ nefanda fuere

flagitia & interitus horrendiſsimus, p[illegible]
entur. Qvæmadmodum docet Epiſtola ad
Hebræos Cap. 10. v. 26. Si ultrò pec-
caverimus poſt acceptam veritatis a-
gnitionem: non adhuc pro peccatis
reliqva eſt hoſtia: ſed horrenda qvæ-
dam expectatio Iudicij & ignis feruor
qvi deuoraturus eſt adverſarios. Qvi
contempſerit Moſis legem abſq; miſericor-
dia ex duorum aut trium teſtimonio mo-
ritur: Qvanto putatis acerbiore ſuppli-
cio dignus cenſebitur, qvi filium Dei
conculcârit & ſanguinem fœderis, per qvē
fuerat ſanctificatus profanum duxerit &
ſpiritum gratiæ contumelia affecerit? 2.
Theſſ. 1. v. 8. Cum flammeo incen-
dio infliget ultionem ijs, qvi Deum
non noverunt, neq; auſcultant Evan-
gelio Domini noſtri IESV CHRISTI,
qvi pœnā pendent æterni exitij, dam-
nati à præſente Domino & potentia ip-
ſius gloria. Idq;

In die judicij.

Tempus exigendæ rationis, extremi
Iudicij dies eſt, in qvo oportet nos omnes
manifeſtari ante tribunal Chriſti: ut pij ſi-
mul

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

mul & impij. qvi membra ſva vel arma iu-
ſticiæ vel iniqvitati exhibuerũt, in corpo-
re ſimul & anima operũ bonorũ præmia vel
delictorum ſupplicia, excipiant.

Scribit D. Ioh. Apoc. 6. v. 16. inter alia for-
midabilia qvæ improbis eo die apparebũt,
etiã iudicem ipſũ, tantò terrori contẽptori-
bus verbi ſui futurũ, ut ingrediantur ſpe-
luncas montiũ (idem etiã aſſerente Chriſto
Luc. 23. v. 30) & dicant montibus ac pe- Oſeæ. 10.
tris: Cadite ſuper nos & abſcondite nos v. 8.
à facie ſedentis ſuper thronum & ab
ira agni, qvoniã venit dies magnus iræ.

Iram agni vocat, ut indicet ta-
lem eius diei iram futuram, qvalis eius
manſvetudo & bonitas præceſsit: Bo-
nitas autem ipſius fuit ſupra omnem
modum maxima, qvando gratiam of-
ferret, ſanguine redimeret, verbo vo-
caret, ſignis admoneret & multa pa-
tientia pœnitentiam exſpectaret: Ita
ſupra omne id qvod cogitari poteſt
deſæuiet ira ipſius, qvando contempto-
res iſtos ultricibus flammis ſupra om-
nes condemnatos in æternum crucian-
dos committet. Ideoq; protinus ſubdit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

Inſignis eſt apud Ieremiam pictura : cap. 1. v. 12. ubi Dominus interrogat Prophetam : Quid videat ? Cui reſpondit. Virgam vigilantem : Denuò interrogatur: quid videret ? reſpondit. ollam ſuccenſam & faciem eius à facie Aqvilonis. Similitudine virgæ ſignificans, paternam admonitionem, qvâ, ut bonus pater & paſtor, utitur docendo, monendo, regendo & interdum caſtigando errantes & ſtolidos, ut à deuijs in viam ſalutis reducat. At qvi paternam iſtam admonitionem non recipiunt, neq; caſtigati emendantur, his olla ſuccenſa eſt, id eſt, ignis ille infernalis & indicibilia cruciatuum & tormentorum genera parata manent. Sicut dicitur Eſa. 14. v. 9. Infernus ſubter te conturbatus eſt in occurſum aduẽtus tui. Apo. 14. v. 9. Si quis adorauerit beſtiam, bibet hic qvoq; de vino iræ Dei & cruciabitur igne & ſulphure, & fumus cruciatuum eorum aſcendet in ſecula ſeculorum.

Qvid nos, qvæſo ad hæc dicemus ? Si illi qvi tot fidei argumenta videntes incre-

duli

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

duli permanſerunt, & tam magnas incredulitatis ſuæ pœnas dederunt. Qvid de nobis fiet? qvi iamdudum ab infidelium hominum colluvie & profana gente, per Chriſti miſericordiam ſecreti, eccleſiæ eius membra facti ſumus, eius verbo illuſtrati, fide donati, totq; beneficia ante oculos poſita habemus? Qvid, inqvã, nobis eveniet, qvi poſt tot ad ſalutem adiumenta deſides, ignaui, perfidi & contumaces permanemus? Quot, quæſo, qvotidie habentur inter nos conciones? quot admonitiones? quot exhortationes? qvæ ſi haberentur inter barbariſsimas gentes maiorem ſanè fructum afferrent. Qvam igitur in extremo illo examinis die ſocordiæ & impietati noſtræ excuſationem prætexemus? qvi tot modis ad melioris vitæ ſtudiũ invitati, tot beneficijs allecti, tot etiam minis deterriti, in impietate & iniuſticia, vitam omnẽ more infidelium, qvi nihil horum agnoverunt unquam, neque lucem doctrinæ, qva ab errore ſuo abducti in rectam viam dirigerentur habebant, perpetuò traducimus?

Qvãobrem oportet nos obſeruare, quę audimus ne forte perfluamus. Etenim ſi per

Angelos dictus ſermo, fuit fi[illegible]s omniſq;
tranſgreſsio & contumacia iuſtā mercedis
retributionem accepit, qvomodo nos effu-
giemus ſi tantam neglexerimus ſalutem?
Heb: 2. v. 1.

Hæc proinde Chriſti admonitio &
comminatio dirißima, hominum cuiuscun-
q; ætatis excitandorum cauſa, ab ipſo pro-
poſita, meritò nobis omnibus terrorem in-
cutere debet & animos excitare, ut preti-
oſum illud viſitationis noſtræ tempus a-
gnoſcamus & vitam Chriſtiana profeſsio-
ne dignam traducamus.

II. Teſtimonium etiam habemus ſe-
cuturi finalis judicij, in qvo Dominus ul-
tionem ſine miſericordiâ infliget omnibus
impœnitentibus.

III. Qvò clarius Deus mortalibus
voluntatem ſuam, per verbum, aperuit,
eò gravius eos puniet, ſi tantam gratiam
neglexerint, planeq; eveniet ipſis quod
ſpiritus ſanctus minatur, Pſa. 109 v. 17.
Dilexit maledictionem & veniet illi:
noluit benedictionem & elongabitur
ab ea, & induet maledictionem ſicut
veſtimentum, & intrabit ſicut aqva in
interiora eius & ſicut oleum oſſa eius.

IV. Ex

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

IV, Ex eo, qvod Chriſtus dicat:
Capharnaum ad cœlos uſq; elatam,

Docemur, qvòd qvemadmodum nulla maior lavs aut ornamentum præclarius regnorum aut rerumpubl: eſſe poteſt, qvã ſi Chriſtus in ijs habitet, incorrupta Euangelij vox illic ſonet, & vita Chriſtiana profeſsione digna degatur: ſta nulla maior ignominia, nec ulla res nocentior, qvæ imperijs exitium & ruinam adferat, qvàm contemptus religionis & neglectus ſalutis, cum effrena & incurabili ſcelerum licentia. Neq; etiam iuuabit eas vel opum affluentia vel ædificiorum ſplendor, neq; vires, potentia aut etiam artes aliæ, qvibus ſibi gloriã & felcitatem comparare conſtituũt. Abd. 1. v. 4. Si exaltatus fueris ut aqvila, & inter Sydera poſueris nidũ tuũ inde detraham te, dicit Dominus. Iob. 20. v. 6. Si aſcenderit uſq; in cœlũ ſuperbia eius, & caput eius nubes attigerit, qvaſi ſterqvilinium perdetur & qvi eum viderant, dicent: ubi eſt?

V. Docemur, delictis inæqualibus, pœnas etiam & cruciatus inæqvales paratas eſſe. Apoc. 18. v. 7. Qvantum

extulit ſe & luxuriata eſt, tantum date cruciatuum & luctuum. Sapi. 6. v. 7. Potentes potenter tormenta patientur. Et ut gradus pœnarum: Sic etiam præmiorum eſſe, Daniel cap. 12. v. 3. & Paulus 1. Cor. 15. v. 40. teſtantur.

DE TERTIO.

In cinere & ſacco reſipuiſſent.

PRimum oſtendit Dei filius, optimum modum & rationem expeditiſsimã declinandi pœnas & interitum eſſe reſipiſcentiam, neq; ſine ea viam ullam iratum Deum placandi aut interitum declinandi inveniri: quemadmodum ipſe Chriſtus Luc. 13. v. 5. teſtatur: Niſi pœnitentiam egeritis omnes ſimiliter peribitis. Et Dominus apud Eſaiam cap. 45. v. 23. Cõvertimini ad me & ſalvi eritis. Ezech. 18. v. 21. & 33. v. 11. Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniqvitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniqvitas. Zach. 1. v. 3. Conuertimini ad me, dicit Dominus exercituum, & ego conuertar ad vos. Act. 2. v. 19. Reſipiſcite & convertimini ut deleantur

peccata

peccata veſtra, Eccleſi. 17. v. 21. Convertere ad Dominum, relinqve peccata tua, precare ante faciem Domini & minue offendicula.

Deinde monſtrat Chriſtus qvalem à nobis reqvirat pœnitentiam, veram nempè & minimè ſimulatam, dum inqvit:

In cinere & ſacco.

Alludens ad conſvetudinem pœnitentium atque lugentium antiqvitus, præſertim verò in populo Iudaico, ſervatam. Solebant enim in gravi luctu, ſaccos ſeu veſtem ſtrictiorem & aſperiorem, filo craſſiore contextam, induere, & capitibus cinere conſperſis in puluere humi ſedere: ut geſtu illo externo, deiecti animi anguſtiã, humilitatem & doloris vehementiam teſtatã facerent. Ionæ 3. v. 6. Rex Niniuæ ſurrexit de ſolio ſuo & abiecit veſtimentum ſuum, & indutus eſt ſacco, ſeditq; in puluere. Iob 42. v. 6. Ipſe me reprehendo & pœnitentiã ago in favilla & cinere. Thre. 2. v. 10. Aſcendere fecerunt pulverem ſuper caput ſuũ, ac cinxeruntq; ſe ſaccis. Pſal 69. v. 12. Poſui veſtimentũ meũ ſaccũ & in ieiunio afflixi me.

Docet igitur Chriſtus, qvod ſit initium, & qvibus partibus abſoluatur vera converſio, His videlicet: ut homo ante

omni

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

omnia vitæ prioris, quæ in iniquitate
eſt, mores retexat, & animus totus cum
abnegatione ſui, ad Dei minas terreatur
vel potius conteratur. Poſtquam verò di-
ligentius expenderit, qvibus peccatis iram
Dei in ſe provocaverit, eorum mox odio
affectus & agnitione contritus, nutantem
animum & trepidantem conſcientiam ſal-
vifica fide roborare, inq; ſpem bonam
Hebr. 4. v. 16. erigere debet. Atq; accepta ſpirituali au-
daciæ ad thronum gratiæ & agnum tollen-
tem peccata mundi accedat, cum fiducia:
quæ niſi adſit, nunqvam eò pervenitur,
ſed iuſticiæ ac maieſtatis divinæ terroribus
ſuperatus, in medio curſu deficit & ſucvm-
bit.

Tandem fides varijs ſeſe indicijs & fructibus exerens hominem ab impietatis ſtudio avocet, verumq; peccati odium animis ingeneret: ſine enim vitiorum diſplicentia neqvaqvam gratiam Dei guſtabimus. Nam ideo Deus nos in filio ſuo, abolitis peccatis, amplectitur: ut nos abnegantes nosmetipſos & exſtinctis carnis noſtræ vitijs, imò toto illo veteri homine occiſo, piam & ſanctam vitam ducamus, eius ductum contento curſu ſeqvamur, quæ timenda propoſuit formidemus, quæ

diligens-

amore proſequamur, qvæ ſp-
da toto deſiderio expectemus, atq; ipſi nos interdum ad ſalutem caſtiganti alacriter ſubijcientes, perfectam liberationem precibus irremiſſis expetamus.

Sint igitur perpetuo nobis ante oculos pœnæ atq; ſuplicia omniũ contemptorum Dei: qvò nos alieno malo admoniti, ſedulo in hoc annitamur, ut acta pœnitentia, verè credamus Euangelio, eoqve dignè ambulantes fide conſtanti & ſanctimonia non fucata, nos præparemus in occurſum venturi iudicis, ne in adventu ipſius confundamur, ſed potius coram illo læta conſcientia ſtare, & vocem ſalvificam: Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum vobis ab exordio mundi paratũ, audire queamus. Qvod nobis det Deus, per eundem Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Luc. 21. v. 35.
Matth. 25. v. 34.

AMEN.

TER-

TEXTVS.

1. Pet. 2. v. 11,

* * *

Dilecti, precor ut tanqvam advenæ ac peregrini, abſtineatis à carnis cupiditatibus qvæ militant adverſus animam: & converſationem veſtram habeatis honeſtam inter Gentes: ut pro eo qvod loqvuntur adverſus vos velut maleficos, ex bonis operibus qvæ ſpectarint, glorificent Deum die viſitationis. Proinde ſubjecti eſtote cuiuis humanæ ordinationi propter Dominum: ſive regi, ut qvi ſuperemineat. Sive præſidibus, ut qvi per eum mittantur tum ad vltionem maleficorum, tum ad laudem rectè agentium. Qvoniam ita eſt volun-

tas

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

tes Dei, vt bene agendo, capiſtro frænetis amentium hominum ignorantiam: Vt liberi, ac non veluti malitiæ velamen habentes libertatem, ſed vt ſervi Dei omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete: Regem honorate.

DVabus præcedentibus homilijs oſtendimus quanta ſit vis iræ Dei execrantis & damnantis omnem impietatem, maxime vero Euangelij ipſius contemptum & beneficiorum ingratitudinem: tum qva ratione commeritas pœnas declinare veniamque delictorū impetrare queamus. Operæpretium hodie fuerit docere quomodo impetratam gratiam conſeruare & ad finem uſque in bono perſeverare valeamus, ne poſt converſionem á peccatis & liberationem à pœnis denuo Satanæ malitia & fraudibus, quibus nos ad priſtina delicta iteranda iugi ſtudio pertrahere conatur circumventi á pietate reſiliamus & ſalute excidamus.

Vt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

Vt igitur perſvaſum ſit auditoribus, reqviri à renatis pœnitentiæ aſsiduitatem, fidei conſtantiam, boni operis continuationem & ſancti propoſiti in melius ſemper proficiendi firmitatẽ: proponã ex D. Petro exhortationem ſupra commemoratam, qvâ omnes fidem Chriſti profitentes ad vitæ ſanctimoniam excitare conatur.

CONCIONIS duæ partes erunt

I. Generalis hortatio ad vitæ novitatem, ſeu opera pœnitentiæ conſentanea.

II. Speciale præceptum politicum de obedientia Magiſtratui & legibus præſtanda.

DE PRIMA.

ABſoluitur hæc duobus membris, propoſitione & confirmatione. Et ut plus ponderis apud auditores habeat obteſtatio hæc, initio benevolentiam illorum amica compellatione captat, ſuũ erga illos affectum fraternum declarando.

Deinde benignè & liberaliter eos alloqvitur non execrando ſed obſecrando, ut vitam Chriſtiana profeſsione dignam inſtituant & ducant.

Quo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

Qvo admonentur verbi Dei miniſtri,
ne imperioſius aut inſolentius cum infirmis
auditoribus agant, ſed pro Chriſto legati-
one fungentes, cum omni lenitate & doctri-
na, & qva poſſunt diligentia inſtent, ve-
lut Deo precante per illos rogent, nomi- 2. Cor. 5. v. 20.
ne Chriſti: ut Deo reconcilientur.

Propoſitio autem exhortationis eſt:

Abſtinete à carnalibus deſiderijs.

Loqvitur Apoſtolus non modo de ex-
terna diſciplinâ, ſed de interna obedientia
mentis, voluntatis & cordis, ut quicqvid
carnis veteriſq; Adami ſit, deponant &
cunctis eius illecebris ac concupiſcentijs
bellum ſpiritui inferentibus reſiſtant, ſicut
monet Paulus ad Epheſeos 4. v. 22. in-
qviens: Deponite vos ſecundum pri-
ſtinam conuerſationem veterem homi-
nem, qvi deceptricibus cupiditatibus
corrumpitur: Renovamini autem
ſpiritu mentis veſtræ, & induite novũ
hominem qvi ſecundum Deum condi-
tus eſt ad iuſticiam & ſanctitatem ve-
ram.

Deſideria igitur vocat, inordinatas
appetitiones & concupiſcentias allicientes
nos ad perpetrandum peccatum & omnem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

iniqvitatem, aduerſus Deum ipſiusq; man=datum. Qvò enim facillius adverſarius noſter Satan, in omnem perditionis noſtræ occaſionem intentus, nos á Deo abducat, & qvod vult in nobis obtineat, primum cogitationes malas ſuggerit, qvibus corru=ptæ carnis pruritum exſtimulat, vnde mox deſiderium ſeu delectatio peccati, prima fronte voluptatem & felicitatem promit=tens, oritur: tandem (niſi maturè occur=ſum fuerit) in prauas actiones prorumpit, qvæ ſæpius iteratæ conſuetudinem & pec=candi habitum pariunt, inducentem cordi obdurationem, cuius individuus comes eſ=ſe ſolet deſperatio, deſperationis verò finis interitus & condemnatio.

His tanquam ſcalis ſeu gradibus, ad profundum maledictionis & finalis exter=minij gurgitem, Satana ductore, deſcendit caro. Ideoq; eius deſideriis, qvæ produ=cunt fructus indolem carnis corruptibilis referentes, ut pro virili obſiſtamus, ſedulò monet Apoſtolus.

Carnis appellatione, totam naturam humanam, ſeu veterem Adamum intelli=git, qvi per ſe ſine Dei ſpiritu, ijs dunta=

xat

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

xat afficitur, occupatur, delectatur, qvæ Deo ipſiusq; voluntati, in lege patefactæ prorſus contraria ſunt, teſte Paulo Rom. 8. v. 6. Senſus carnis inimicitia eſt apud DEUM. Legi enim Dei non ſubjici-tur, neq; enim poteſt: Et, qvi in car-ne ſunt, Deo placere non poſſunt &c. Omnibus etenim viribus, rationis, intelle-ctus, voluntatis, ſenſuum, conſiliorum & cogitationum, ſeſe Deo rebusq; divinis ho-ſtiliter opponit. Gal 5. v. 19. Eph. 4. v. 18.

Ab his igitur carnis illecebris & pec-catis, vult Apoſtolus omnes renatos, qvi Chriſto fidem dedere, in ſolidum abſtinere, eis reluctari & anniti ut ſpiritus vigore ſu-perentur: qvò interior homo, qvi ſibi ſemper ſentit á veteri Adamo reſiſti, divi-na ope magis magisq; renovetur: ne qvod ſuadet caro in ſui ipſius perniciem faciat: ſed debellato hoſte illo domeſtico, vivat in nobis Chriſtus, in eius gratia permanea-mus, retineamus ſpiritum ſanctum, fidem & bonam conſcientiam & hæredes vitæ æ-ternæ reddamur per ipſum. Atq; hæc de primo membro.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

*Tanqvam peregrinos & adve-
nas, ut abſtineatis à carnalibus
deſiderÿs qvæ militant adver-
ſus animam.*

Poſterius membrum in qvo argumen-
ta confirmationis recitantur, cur carni ſit
reſiſtendum. Qvorum primum ab adiun-
cta conditione & ſorte vitæ humanæ de-
ſumptum eſt.

Qvod ſcilicet?

Peregrini ſumus & advenæ

In hoc mundo, ubi non manendi ſed
commorandi tempus natura conceſsit.
Non enim habemus heic manentem
Heb. 13. v. 14. civitatem, ſed futuram inquirimus.
Gen. 47. v. 9. Dies peregrinationis
meæ pauci & mali. Pſal. 39. v. 14.
Peregrinus & advena ſum ego ſicut o-
mnes patres mei. Item Pſal. 119. v. 19.
1. Paral 29. v. 15. Peregrini ſumus co-
ram te & advenæ ſicut omnes patres
noſtri. 2. Cor. 5. v. 6. Peregrinamur
à Domino. Heb. 11. v. 13. Sancti Dei
confeſsi ſunt ſe hoſpites & advenas fu-
iſſe ſuper terram.

Qvo-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

Qvocirca relictis terrenis, aſsiduè co-
gitandum nobis erit de vera patria & ſta-
bili manſione, qvæ in cœlis eſt, & qvæ ſur-
ſum ſunt qværamus, ubi Chriſtus eſt ad de-
xterā patris, quò facilius depoſita hac ſarci- Phil. 3.
na & mole peccatorum carnaliumq; con- Verſ. 20.
cupiſcentiarum, contento curſu anhelemus Coloſſ. 3.
ad veram beatitudinem, morte & aſcenſio- Verſ. 1.
ne Chriſti partam paratamq;. Et caveamus ne oblectamentis carnalibus irretiti, in via hac lubrica moremur, qvò minus cæptum iter abſoluere, metam ſalutis pertingere & æternam patriam aſſeqvi valeamus.

Secundum argumentum confirmationis ab effectu ſumptum eſt.

Militant, inquit Apoſtolus, *adverſus animam.*

Caro enim & anima,

(Id eſt, vetus ille Adam & nouus Adam) oppoſitæ inter ſe tanqvā caſtra hoſtilia, bellumq; ἄσπονδον gerunt invicem, & altera alteri indefeſſè inſidiata, extremū exitium importare molitur.

Intelligendum hoc eſt de ijs ſolum hominibus, qvi Chriſto nomina dederunt & ſub eius vexillo militare cæperunt. Nam

qvi extra Dei caſtra verſantur, & in labe congenita hærentes ductum carnis ſequuntur, fœdus percuſſerunt cum morte & cum inferno pactum fecerunt, neq; ullis tentationibus à Satana vrgentur: qvum ab ipſo, veluti qvieta poſſeſsione occupati, omnia tàm interiora qvàm exteriora membra, arma iniuſticiæ exhibeant. At regenerati qvi ſe mundo abdicârunt & carnem ſuam cum affectibus & deſiderijs ſuis crucifixerunt, intra ſemetipſos certamen hoc & ſtimulum ſerpentis ſentiunt, de qvo Paulus 2. Cor. 12. v. 7. qviritatur, inqviens. Datus eſt mihi ſtimulus carni infixus & Angelus Satan me colaphizat. Item Rom. 7. v. 23. Video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ & captivum reddentem legi peccati, qvæ eſt in membris meis. Matth. 26. v. 41.

Manent itaq; in hac mortali vita, etiam in ſanctificatis triſtes morbi, inclinationes pravæ, dubitationes, vitioſi affectus, rapidi motus, cum lege & voluntate DEI pugnantes, qvi omninò reprimendi ſunt

&

& mortificandi à nobis virtute ſpiritus Dei & aſsiduè deploremus noſtram hanc infirmitatem, doleamus tantam in nobis eſſe ἀταξίαν, Petamus à DEO remiſſionem & operam demus ſedulam, ne regnet peccatum in mortali corpore noſtro: ſed freno cupiditatibus iniecto factioneq; carnis oppreſſa, ſpiritus in nobis imperium obtineat, & in iis qvæ ſalutis ſunt, liberè & ſine carnis interpellatione progrediens, fructus emendata vita dignos producat. Rom. 8. v. 13. Si ſecundum carnem vixeritis moriemini: Si autem ſpiritu mortificaveritis opera carnis viuetis.

Tertium argumentum confirmationis á duplici fine ſumitur: Qvorum prior eſt ab honeſto: ut Chriſtiani habeant inter gentes converſationem honeſtam, & inculpatis operibus ſuis probent etiam gentibus, à vera DEI cognitione alienis, ſuam fidem & integritatem: dumqve profeſsioni Chriſtianæ reſpondeat vita illorum honeſta, præſcindatur malevolis,

 calum-

calumniandi occaſio, & eorum bono exemplo invitentur ad reſipiſcentiam. Solet enim vita Chriſtianorum ſcelerata doctrinæ autoritatem eleuare & profeſsionem ſacram deformare: tumq; maxime riſui ſe exponunt religioſi, atq; hoſtibus Euangelij calumniandi occaſionem præbent, quum externè ſanctimoniam ſimulantes, vitijs ſcatent plurimis. Ita hodie pontificij reformatas inſectantur Eccleſias, doctrinæq; veritatem ideo in dubium vocant, quòd maxima eorũ pars qvi de religione vera gloriantur, ore tantum Chriſtum profitentur, factis vero negent. Hinc fit quod Apoſtolus Rom. 2. v. 24. Iudæis ex Eſaia obijcit. Nomen Dei propter vos blaſphematur inter gentes.

Poſterior finis ab utili eſt: Ideo namque reſiſtendum eſt concupiſcentijs carnis.

Vt Deus glorificetur inter omnes.

Non modo mente & lingua, ſed & tota vita noſtra, iuxta mandatum CHriſti, Matth. 5. v. 16. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videntes veſtra bona opera, glorificent patrem veſtrũ qui eſt in cœlis. Tunc autem glorificamus Deum, qvando ex corde puro & vitæ

pietate

pietate conſpicua, depredicamus eius im̃menſam bonitatem & miſericordiã, quod ex mera ſua charitate, gratiâ, propoſitoq́ꝫ æterno, ſine noſtris meritis, nos in Chriſto tanquam capite noſtro amauit, elegit, redemit, juſtificavit, ſanctificavit: & nos viciſsim obedientiam noſtram, vera fide, ardente oratione, vitæ ſanctitate & conſtantia in mortem uſqꝫ confirmatam, ipſi declaramus & probamus.

Qvia igitur caro noſtra infirma, vita incerta, ſpes rerum mundanarum vana, perigrinatio periculoſa, habitatio ruinoſa, via lubrica, illecebræ inſidioſæ, totus denique mundus fallax, in qvo ubiqꝫ mors, ubiqꝫ amaritudo, ubiqꝫ inſidiæ, tumultus, deſolatio, & totum hoc qvod viuitur aduerſitatibus repletur atque moleſtijs fatigatur: Ideo deſpiciamus hæc omnia & circumſpiciamus, ne veteris Adami & cœcæ carnis concupiſcentijs tanquam Sirenum cantu illecti, in ſcopulos caliginis & mortis æternæ impingamus. Qvinimò quum viam ſciamus, & quo abeundum ſit ſciamus. Ioh. 14. v. 4. Indefeſſè & feſtinanter ad metam ſalutis vitamq́ꝫ beatam contendamus. Non ſecus ac illi, qui ad loca munitiora feſtinantius mi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

grant, qvando ruinam domus, contritis parietibus, imminere vident: Sic corda Chriſtiana, qvantò magis ſentiunt huius mundi ruinam vitæq́; terminum, crebeſcentibus malis, propinqvare: tantò magis, depoſitis carnis illecebris, quæ dolore tandem concluduntur & amaritudine, ad verā patriam feſtinare debent: adeoq́; vitam cœleſtem, toto hoc peregrinationis tempore in terra meditari, ut eo facilior ipſis ad ſempiternæ felicitatis gloriam, Domino iter ipſorum dirigente & fortunante, acceſſus pateat.

DE SECVNDA PARTE.

Proinde ſubiecti eſtote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum, ſive Regi, qvi ſupereemineat: ſive præſidibus, ut qvi per eum mittuntur, qvum ad ultionem maleficorum, tum ad laudem rectè agentium.

SPeciale nunc præceptum ſubiungit Apoſtolus, vitam hanc civilem & temporalem concernens, de obedientia politico Ma-

eo Magiſtratui & legibus præſtanda, propter Dominum.

Hæc doctrina de magiſtratu in tria membra diſpeſci poteſt.

I. Quid ſit ſubiectio?
II. Cui ſubjiciendum?
III. Quare?

Harum partium brevem tantum σύνοψιν ſubiungam, cùm quæ de ijs dici poſſunt trita ſint & ubiq; pervia.

Subjecti eſtote.

Vniverſale hoc mandatum eſt ad omnes ſe extendens hominum ordines, à quibus reqvirit Apoſtolus ſubiectionem, id eſt, obèdientiam ſpontaneam, non violentam aut coactam. De qva & Paulus Rom. 13. v. 1. Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſit ſubdita.

Complectitur autem ſubiectio hæc.

I. Amorem erga ſuperiores ut nón ſecus erga illos, quàm qvi nos genuerunt, affecti ſimus. Nam vitam, qvam ab his accepimus, illi fovent, ſeruant, tuentur.

II. Honorem & Reverentiam, tanqvam erga Dei miniſtros.

III. Obedientiā erga leges & mandata, cum pietate & iuſticia nō pugnantia.

IIII. Sol-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

IIII. Soluere ſine moroſitate tribu-
ta & vectigalia, ſine quibus adiminiculis
ordo politicus & pax publica conſervari
nequit.

V. Conniuere ad illorum nævos &
patienter quaſdam iniurias ferre.

VI. Orare pro ipſis aſsidue & pro-
ſperitatem ipſis ex animo precari. Nam
ſalus noſtra in ſalute illorum, Baruch cap.
I. v. II.

His præcipuè partibus vera erga ſupe-
riores obedientia abſoluitur.

II. Cui obediendum?

Omni humanæ creaturæ: Sic vocat
Magiſtratum, non qvod homines autores
habeat, ſed à cauſa materiali, quòd homi-
Palm. 82. Verſ. 6. nes veluti Dei miniſtri ad hoc divinitus
ordinati ſunt: ut poteſtate fungentes, vi-
cem Dei inter homines obtineant, gerant-
que imaginem eius in terris, gubernantis,
foventis & protegentis, etiam hoc modo
genus humanum. Ideo mox addit:

*Sive Regi tanqvam ſuperemi-
nenti, ſive præſidibus vt qvi
per eum mittantur.*

Diſtri-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

Diſtributione explicat quid per cre-
aturam intelligat, nempe cùm regem ipſū
ſeu Magiſtratum ſuperiorem, in ſumma e-
minentia conſtitutū: tum inferiores, duces,
præſides, tribunos, præfectos, ſuperioris
poteſtate armatos. Nā quum officium hoc
pleniſsimum ſit laborum & moleſtiarum, &
infinitas curas pro ſubditorum ſalute gerat
Magiſtratus, ad quas ſuſtinendas & exan-
tlandas humanæ vires pares eſſe nequeunt:
neceſſe eſt iuxta conſiliū Iethro ſacerdotis Exo. 18.
Madianitæ Moſi datum, ut deligantur vi- v. 21.
ri ſapientes, timentes Deum, in quibus ſit
veritas, qvi odio habeant avaritiam, nec
leges pretio figant atque refigant, aut ſen-
tentias venales habeant: neque odio, metu,
ira, gratia, ſe à iuſticiæ via dimoueri pati-
antur: in talium humeros onus ſuum par-
tiatur rex ijsq; gubernationis partē ſuo lo-
co committat, ut minora (inquit Iethro)
diſponant: quicquid veró maius fuerit ſi-
bi reſeruet. Ita tamen ut nihil temerè ni-
hil ſine iudicio & optimatum ſuorum con-
ſilio aggrediatur: quò tanto melius & fa-
cilius, omnia ad æqvitatis & iuſticiæ nor-
mam moderetur.

Nulla proinde Magiſtratus ſpecies eſt,
cui non ſeſe ſubmittere debeant inferiores.

quod

qvod etiam præcipit Paulus Tit. 3 v. 1. inquiens: Admone illos, ut ſeſe ſubmittant principibus & poteſtatibus & obtemperent. Ac qvamuis inferiores qvi à ſuperioribus mittuntur, duriores & crudeliores ſæpe ſunt ipſis Dominis, quod pluribus in locis non ſine lachrimis & facultatum jactura experiuntur miſeri ruſtici, & alij qvi talium æruſcatorum & plagigerorum intollerabile iugum ferre coguntur: nihilominus & ipſis præſtanda eſt obædientia, propter Deum. Et ſciant ſubditi ſe etiam cultum præſtare Deo, ſi patienter iniurias ferant & iuſto iudici vindictam committãt, diſtingventes inter poteſtatem à Deo ordinatam & abuſum poteſtatis, qvi non eſt à Deo, ſicut ipſe Dominus apud Prophetam teſtatur dicens. Ipſi regnauerunt, ſed non ex me. Interea tamen vim fugere & avertere, vel etiam rationibus licitis vindicare, illicitũ non eſt.

Oſeæ. 8. v. 4.

Tertio conſiderent auditores rationes à Petro adductas, qvare obediendum ſit magiſtratui.

Subjecti eſtote inqvit *propter Dominum.*

Prima ratio ſumpta eſt à cauſa procre-

ante

ante ſeu autore ordinis politici, Obedi-
endum eſt inqvit *propter Dominum*,
Qvi ordinem politicum voce ſua immedi-
ate inſtituit & ſanciuit, ne beluino more
homines viuerent, ſed certam ordinatamq;
viuendi rationem haberent, ut eſſet teſti-
monium, iuſticiæ, ſapientiæ, bonitatis &
præſentiæ eius in genere humano. Rom.
13 v. 3. Non eſt poteſtas niſi à Deo.
Ioh. 19. v. 11. Non haberes in me po-
teſtatem, niſi datum tibi eſſet deſuper.
Sap. 6. v. 4. Vobis á Deo data eſt
poteſtas.

Non itaq; caſu exiſtit ordo politi-
cus, neq; conſilijs aut viribus humanis con-
ſtituuntur, conſeruantur vel euertuntur
regna & imperia, ſed à Deo conſiſtunt, de-
fenduntur, delentur, transferuntur non ſo- Sirach 10
lum de gente in gentem, ſed de ſtirpe in v. 8.
ſtirpem: Qvemadmodum euidenter do-
cent hiſtoriæ, reiecti Saulis, & Dauidis in 1.Sam. 10
eius locum electi, Nabuchodonoſoris, Bal- v. 7.
thaſaris & aliorum. Sirach 10. v. 4. Dan. 4.
In manu Dei poteſtas terræ. Proverb. v. 29.
8. v. 15. Per me (inqvit Sapientia Dan. 5.
cœleſtis) Reges regnant. Dan. 2. v. v. 3[illegible]
21. Deus transfert regna & conſtituit.

Item

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

Item, Dan. 4. v. 14. Excelſus domi‑
natur in regnum hominum & cuicun‑
que voluerit dabit illud.

Nefas proinde fuerit magiſtratui reſi‑
ſtere, nam qvi ei reſiſtit, ordinationi Dei
reſiſtit. Time Dominū inqvit Salom:
Prouerb. 24. v. 21. fili mi & regem, &
ne coniunge te ſeditioſis: Subito enim
orietur interitus eorum. Teſtantur id
exempla omnium temporū: Chore, Datan
& Abyron. Apud Germanos Tragædia
furioſorum ruſticorum, apud nos funeſta
ſeditio Clementina, & ſimilia.

Secunda ratio à fine ordinationis ſeu
effectu utiliſsimo deprompta eſt. Ideo,
inquit, obſecundandum eſt Magiſtratui.

*Qvia mittuntur ad vindictam
nocentium: laudem verò rectè
agentium.*

Id fuſius explicat Paulus Rom.
13. v. 3. Non eſt, inqvit, Magiſtratus
terrori bonis operibus, ſed malis, vis
autē non metuere poteſtatem? Quod
bonum eſt facito & laudem ab ipſa ob‑
tinebis. Dei enim miniſter eſt tuo bo‑
no,

no, qvod ſi feceris qvod malum eſt, metue: non enim fruſtra geſtat gladium: nam Dei miniſter, eſt vltor ad iram ei, qvi qvod malum eſt fecerit.

Admonentur igitur hoc dicto, tám
ſubditi qvàm Magiſtratus. Subditi ne in
ſuperiorum officium ſe intrudant, vlciſcen-
do ſemetipſos: ſed defenſionem & libera-
tionem ab ordinaria poteſtate petant &
expectent: qvi enim gladium accèperint Gen. 9.
gladio peribunt. Magiſtratus verò, ut v. 6.
defendant recte facientes, pœnis corpora- Math. 26
libus afficiant delinqventes & caueant ne v. 52.
inuertant officij ſui finem à Deo conſtitu-
tum: benefaciendo malis & malefaciendo
bonis. Neqvaqvam enim arbitraria eſt
hæc poteſtas, ſicut inſolenter pronunciat
præſes ille jeruſolymitanus, Chriſtum con-
demnans Ioh. 19. v. 10. Neſcis inqvit,
me habere poteſtatem te dimittendi &
poteſtatem te crucifigendi. Nam ut
gladium non niſi in maleficos ſtringere: ita
neq; defenſionem, niſi bonis præſtare man-
dato diuino iubentur.

Qvia igitur Magiſtratus vicem Dei in terris gerit, & qvaſi medius inter Deum & homines, qvod ad iuris & æqvi, in ex-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

terna ſocietate hominum, diſpenſationem attinet, conſtitutus ſit: videat, (inqvit Io- ſaphat 2. Paral. 19. v. 6.) qvid faciat, non enim hominis exercet iudicium ſed Dei & qvicqvid iudicauerit in eum redundabit. Sit timor Domini cum illo: & cum diligentia cuncta faciet: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum ini- qvitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum. Aſsiduè itaq; ocu- los ſuos conuertat pius Magiſtratus ad De- um, ſeipſum & ſubditos.

I Deo ſeruiat in timore & tremore, eiusq; filium oſculetur Pſalm. 2, v 11. De- poſitâ enim pietate & timore Dei, de- ponit ſimul omnem ſapientiam & fe- licitatem.

II Curare debet ſacra, veram reli- gionem plantare & operam dare, ut omnia ritè & religioſè adminiſtrentur, ad diuini nominis gloriam.

III Scholas & eccleſias erigat & con- ſeruet, earumq; nutricius ſit, de bonis ec- cleſiæ nihil auferat, potius pia munificentia (ſi opus fuerit) locupletet & ad debitum vſum ritè diſpenſet.

Eſai. 49. v. 23.

Sibi vero ipſi debet, ut ſit ſobrius, ca- ſtus,

ſtus, verax, humilis, conſtans, lenis, in officio diligens, ἀφιλάργυρος, ſciatq; ſe imperium non in beluas, ſed homines ad imaginem Dei conditos, & ad vitam æternam electos habere: cogitet etiam ſe aliqvando ſublimis ſuæ poteſtatis & adminiſtrationis rationem Deo redditurum.

Subditis vero debet. I. Vt ſincero & paterno amore eos complectatur.

II. Tueatur inſontes, qvi legibus diuinis & politicis legitimè obtemperant, & bona opera honore afficiat.

III. Puniat ſceleratos gladio, qvi contumaciter legibus repugnant & tranqvillitatem publicam turbant.

IIII. Condat leges bonas & ſalutares Reipublicæ, congruentes cum lege diuina & naturali.

V. Pacem & incolumitatem publicam tueatur & conſeruet.

Hæc ſi fecerit, arboris illius magnæ & fortis inſtar erit, (de qva Daniel cap. 4. v. 8.) Cuius proceritas cœlum contingebat, aſpectus eius erat uſq; ad terminos vniuerſæ terræ, folia eius pulcherrima & fructus eius nimius, ſubter qvam habitabant animalia & beſtiæ,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

& in ramis eius commorabantur vo-
lucres cœli, & ex ea veſcebatur omnis
caro. At qvi ſecus fecerint, potentia ſua
ad opprimendum eos, qvos iure defende-
re deberent, abutentes: meminerint ſibi
dictum eſſe illud Salomonis Sap: 6. v. 2.
Audite Reges & attendite, diſcite
iudices finium terræ, aures præbete
moderatores populi, qviq; de nationũ
multitudine gloriamini: qvoniam à
Domino vobis dominatio data eſt, &
poteſtas ab altiſsimo, qvi in opera in-
qviret veſtra & conſilia perſcrutabi-
tur: qvoniam cùm eſſetis miniſtri
eius, non rectè iudicaſtis, neq; legem
conſeruaſtis, nec Dei conſilium ſecuti
eſtis. horribiliter iudicium ſuperueniet
vobis & repentè, qvoniam in vos po-
tentes, ſeueriſsimè exercebitur.

Hæc de Magiſtratu ideo hoc tempore
propoſuimus in Eccleſia, ut cùm ſciamus
tempus illud exoptatiſsimum præ foribus
eſſe, qvo Illuſtriſsimus & Clementiſsimus
Princeps noſter, CHRISTIANVS
eius nominis IV. felici omine & fauſta
omnium ordinum acclamatione, regio
Diade-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

Diademate inaugurandus, auiti paterniq;
regni habenas moderandas ſuſcipiet: pro-
beq; ex ijs, qvæ ſupra monuimus cognitum
habeamus, imperia non obtineri fortui-
to, nec regi aut conſeruari prudentia, viri-
bus vel conſilijs humanis: ſed ſola Dei be-
nedictione ſtare & florere, qvi ordinem à
ſe inſtitutum promouet, ſeruat, tuetur.
Neqve etiam felicem eſſe vllam guberna-
tionem, niſi Deo adiuuante, qvi dat ſalu- Pſal. 144.
tem Regibus, à qvo ſolo ſunt non modo v. 10.
conſilia ſalutaria, felices rerum euentus &
ſucceſſus, ſed etiam boni præſtantes & hu-
mano generi utiles & ſalutares gubernato-
res. Ea de cauſa debent miniſtri verbi,
grauiſsimè & ſeueriſsimè admonere, exci-
tare & adhortari auditores ad tantæ rei
conſiderationem & eosdem exſtimulare,
ad agnoſcendum immenſum hoc benefici-
um & ad gratias agendas omnium rerum
moderatori Deo opt. Max. qvod ex im-
menſa bonitate ſua, nobis hactenus felicem
regni ſtatum, pium Magiſtratum, ſaluta-
rem gubernationem & almam pacem con-
ceſſerit. Et inſuper veris gemitibus &
ardentibus votis eundem precari: ut dein-
ceps regna, ducatus & ditiones in vera re-
ligione, diuturna tranqvillitate, ſancta
 diſcipli-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

diſciplina & omni felicitate conſeruare ſua protectione & Angelorum præſidio dignetur. Tum etiam ut Principi noſtro Illuſtriſsimo concedat in auſpicio & progreſſu gubernationis Maieſtatis ipſius, perpetuam felicitatem & virtutum incrementum, præueniat ipſum benedictio-
Pſalm 21. verſ. 4. nibus ſuis, ponat ſuper caput eius coronam
Pſal. 103. verſ. 4. auri optimi, Coronet illum miſericordia & miſerationibus, omnibuſq; donis regijs ipſum cumulet, regat mentem eius ſpiritu principali, det ipſi cor perfectum, vitam diuturnam, domum tutam, gubernationem proſperam, ſenatum prudentem, populum obedientem, Eccleſiam pacatam, pacem diuturnam, tempora tranqvilla, ſucceſſus felices: ut Chriſto portas aperiat, iudicium & iuſticiam faciat, & gladio ſibi diuinitus tradito recte utatur, in defenſionem bonorum & vindictam malorum: qvo placidam & tranqvillam vitam, ſub ipſius imperio viuamus, in omni pietate & honeſtate.

Illuſtriſsimam etiam Reginam matrem, liberos Regios, confœderatos & neceſsitudine deuinctos Reges & Principes in perpetua amicitia & pacis vinculo nobiſcum, diutiſsimè conſeruare velit.

Ampliſsi-

Ampliſsimos qvoq; & prudentiſsimos, regnorum conſiliarios, præſides, nobiles, iudices & omnes qvorum miniſterio ad nos gubernandos vtitur DEVS, ſaluos & incolumes cuſtodire dignetur, mentes illorum ſpiritu ſapientiæ & prudentiæ irradiet, & pia ac ſalutaria ipſis conſilia ſuggerat, adeoq; vniuerſos ac ſingulos horum regnorū ſtatus & ordines incolas & ſubditos, paterna ſua protectione ab omnibus flagellis, aduerſitatibus & inſultibus hoſtium cuſtoditos, donis & bonis ſpiritualibus & corporalibus ornare & locupletare velit: ut ſanctam vitam in ipſius timore traducentes vniuerſi & ſinguli, poſthac ſimus in meditatione verbi ipſius aſsidui, in precibus ſeduli, in dilectione feruidi, in cruce ferenda magnanimi, in ſpe firmi, in morte imperterriti, in vita cœleſti perpetuò læti & exultabundi cum omnibus Angelis & electis,

Amen.

*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

PRIMÆ DIEI PRECATIO.

O Alſommectigſte / Langmodige oc gode Gud / wi Arme elendige Adams Børn komme nu frem for dit Anſict / oc aff gantſke Hierte ydmygelige begræde / vore Synder oc miſgierninger / at vere ſaa mangfaaldige / ſtore oc gruelige / at de raabe Heffn oc ſtraff offuer oſſ / i Himmelen hos dig : Oc at wi ere lenge ſiden ſkyldige met Sodomiterne / at ſtraffis met euig Jld oc Forderffuelſe / der ſom du icke aff din wſigelige Naade oc Langmodighed haffde ſparit oc beuaret oſſ. Wi ſucke oc raabe til dig / O naadige Fader / bedendis for din Søns vor eniſte Meglers JEſu Chriſti wſkyldige Blods ſkyld /

ſom

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

ſom raaber Naade oc Barmhiertighed offuer alle dennom / ſom met angerfulde Hierter i Troen til dig indfalde / at du vilt for din ſtore Miſkundheds ſkyld / tilgiffue oc forlade oſſ alle vore raabende ſynder oc vtallige miſgierninger / oc bortage den velfortiente ſtraff / ſom allerede aff din ſtrenge retferdighed er beredt offuer oſſ at vdøſis. O HErre / gack icke i rette met oſſ / oc giff icke act paa vore Synder / men giff oſſ dit Venſkaff oc Naade. Oc efterdi all Synd oc Ondſkaff tager offuerhaand i Verden / ſaa derfindis gantſke faa ſom rettelig tiene eller frycte dit hellige Naffn / oc ſkicke ſig effter din villie: At du fordi naadelig vilt beuare oſſ / oc met din hellig Aand altid ſtyre oc regere oſſ / at

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

wi icke falde fra dig/eller met den ſtore ſvgudelige Hob liggehen i ſyndſens Slemhed oc Tryghed/ oc der vdeffuer euig fordømmis/ Men hielp oſſ at wi kunde ſtaa aff vort onde Væſen / bliffue i din Retferdighed deelactige/ oc ſiden euige ſalige. for ſamme din Søns JEſu Chriſti ſkyld/ Amen.

LOCO EPISTOLÆ.

Textus Gen. 18. v. 20.

Euangelium Luc. 17. v. 26.
Prout factum eſt in diebus Noe &c.
vſq; ad finem verſus 31.
Quo filius hominis reuelabitur.

SECVNDÆ DIEI PRECATIO.

BArmhiertige Gud / oc kiere Himmelſke Fader/ wi bekiende dine ſvſige-

lige

lige ſtore Velgierninger mod oſſ/
beſynderlig at du met dit ſalige
Ord oc Sacramenter haffuer
begaffuit oſſ / oc ladet dit naadis
Rige plantis hos oſſ/ Ja oſſ baa-
de met Aandelig oc Legomlig go-
de mod Himmelen ophøyet / paa
det wi ſkulde frycte oc tiene dit hel-
lige Naffn / oc met ſand Pœni-
tentze i naadens Tid omuende
oſſ til dig: Wi bekiende vor ſtore
Wtacknemmelighed / huilcken wi
beuiſe dig for alle dine gaffuer oc
Velgierninger / oc oſſ langt verre
at haffue handlit mod dig / end
Hedninge eller andre Wgudelige
ſom icke kiende dit Naffn/ey heller
vide dit Ord oc villie. Derfaare
bede wi dig O Naadefulde JEſu
Chriſte / at du vilt forbarme dig
offuer oſſ / oc icke ſom vore Syn-

der

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

der oc Wtacknemmelighed for-
tient haffuer handle met oſſ / men
oſſ beuare fra den gruelig Vee oc
Forbandelſe/ſom du i dit Ord vd-
raaber offuer alle Euangelij for-
actere/ Fri oſſ fra den euige Helff-
uedis fordømmelſe / oc hielp oſſ at
wi i denne Dag met en ſand al-
uorlig Poenitentze i Secke oc A-
ſke / det er / met ydmyge Hierter i
en faſt Tro oc Chriſteligt Forſæt
omuende oſſ til dig/altid her effter
bekiende dine Gaffuer / oc findis
dig tacknemmelige/met all Lydig-
hed oc Vnderdanighed ſom rette
vnderſaatte vdi dit Aandelige Ri-
ge/ oc ſiden bekomme glæde oc Sa-
lighed i det euige Rige/ huilckit du
oſſ met din Død oc Verdſkyld for-
tient oc beredt haffuer/du ſom met
din Fader oc hellig Aand &c.

Epiſt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

Epiſtola Rom. 10. v. 6.
Ne dixeris in corde tuo, &c.
Finis: Orbis terrarum verba eorum.
Euangel: Luc. 10. v. 11.
Scitote appropinqvaſſe ad vos &c.

TERTIÆ DIEI PRECATIO.

O Naadefulde Gud oc Allerkieriſte Fader/ wi dine fattige Børn aff gantſke Hierte bede dig/ at du met din hellig Aand oc veldige Haand vilt regere oc hielpe oſſ arme fremmede oc elendige Pillegrime i denne Verden / at wi effter denne Dag kand imodſtaa ſyndſens oc Kiødſens Lyſt / oc dempe den gamle Adam i [illegible] / at wi icke offueruindis aff Saten/ Kiødet/ Verden/ eller oc nogen Ond Begiering. Men ſtyrcke oc ledſage du oſſ / at

wi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

wi kunde altid vandre paa ſalig-
hedſens Vey / beholde Troen oc
en god Samvittighed / oc komme
til vor rette Fæderne Land Him-
merige / oc i midler tid den ſtund
wi leffue i denne Verden / Forlene
din Naade oc Velſignelſe / oc bliff
hos oſſ met din Faderlige hielp oc
Biſtand. Beuar din Chriſtne
Menighed / dit ſalige Ord oc hel-
lige Sacramenter fra all Men-
niſkelig Vildfarelſe. Holt Kir-
ckens Tienere oc Predickere i it
Chriſteligt Leffnet oc god Sam-
drectighed. Beuar diſſe Riger /
Førſtedømme oc Lande Fred oc
nighed. Giff vor Naadige vd-
alde Herre oc Konning / Hertug
hriſtian Lycke oc Velſignelſe til
ff oc Siel / Krone du hannem
et din Naade oc met ſande Kon-
lige

gelige dyder/ Gudfryctighed/ Yd-
myghed / Retferdighed/ Viiſdom
oc Forſtand. Giff at hans Naa-
dis Regimente maa haffue en
glædelig Begyndelſe oc lyckſalig
Fremgang / i Biſtandig Fred oc
languarende Sundhed oc Vel-
færd. Beuar hans elſkelige Fru
Moder Dronning Sophia met
hans Naadis Høybaarne Sy-
ſkende/ Suogre oc Blodsforuan-
te. Holt diſſe Rigers Raad/Adel
oc Øffrighed met menige Vnder-
ſaatte vnder din Guddommelige
Beſkyttelſe oc beſkermelſe. Giff
velſignelſe til Liff oc Siel/ oc vent
fra oſſ alle din vredis Riis oc vel
fortiente Straff/ ſaa ville wi al-
tid frycte oc tiene dig/ oc priſe dig
ſom en naadig Gud oc Fader met
din elſkelige Søn Jeſu Chriſto/ oc
den

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

den hellig Aand / ſom leffuer oc re-
gnerer en ſand Gud fra euighed
til euighed / AMEN.

Epiſt. 1. Pet. 2. v. 11.

Obſecro vos tanqvam aduenas & pe-
regrinos &c.

Euangelium Matth. 5. v. 14.

Vos eſtis lux mundi.
Finis: Glorificentq; patrem veſtrum
qvi eſt in cœlis.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1635 8° copy 3